DE ROMANI CALENDARII NOVA EMENDATIONE, AC PASCHALIS SOLENNITATIS REDVCTIONE

Per R. P. F. IOHANNEM SALON Valentinum Franciscanæ obseruantię professum, Nunc primum editum.

Cum licentia R. P. Inquisitoris.





FLORENTIÆ.
In Officina Georgij Marescotti.
MDLXXVI.

BEATISSIMO. ATQVE SANCTISS. D. N. GREGORIO XIII. PONT. MAX.



VLTA cùm hactenus abste cùm pulcherrima, tum piisima, tan toq; Pontifice digna; totus orbis susceperit beneficia, P. Beatiss. hoc vnum superest, quod to tis viribus obtinere per cupiunt, pii omnes Eccle. sanctæ filii: vt Calendarium Romanum, temporum curriculo adeò collapsum, vt festa omnia non iam suo mense ac die, quo à sanctis Patribus & cõciliis præcepta sunt celebrari; sed ad multas hebdomades sæpissime trãslata certissimè agnoscantur; vti hoc ipso anno factum conspicimus, in quo triginta quinq; diebus, tardius omnes dies festi mobiles peracti sunt, id quod & post biennium rursus, & deinceps frequenter contingent, nisi interim Tua S. remediũ apposuerit. Quamobrem P. Sanctiss. omnium piorum sanctæ Ecclesiæ filiorum no-

mine,ego pedibus B. T. aduolutus, obsecro, vt nō amplius iis erroribus (tametsi nō sint in fide) nos hoc est vniuersum populū Christianū, inuolui ac detineri permittas. Quinimò Breuiarium ac Missale quod B. Pius. Tuæ. S. prædecessor, quoad ritum officiorū emendatum tradidit; Tua. S. quoad festa ipsa Paschalia; cæteraq; quæ ipsam sequuntur instauratum ac reformatum tradere nō moretur. Neq; enim si rectè sapio, adhuc intentioni sacri Trid. Conci. ad amussim satisfactum est; neq; Missalis ac Breuiarii reformatio, Rom. Pont. à sacra Trid. synodo delegata, omnibus suis numeris, absoluta atq; perfecta existimari potest; si non & anni restitutio, & Ecclesiastici Calendarii subsequatur. Verum cum multi doctissimi viri, quā plures iam pridem tractatus ediderint; nouissimus ego, qui multam huic studio per viginti quinq; annos operam nauaui, ad S. T. cum nouo nunc libello, nouoq; corrigendi ac instaurandi Calendarii modo accedo. In quo summo studio conatus sum breuiter ac dilucidè maxima cum facilitate, rem ipsam alioqui satis difficilem, peruiam atq; clarissimam

ſſimam redderem, ſuper & id in primis præ oculis habui, vt libri omnes Eccleſiaſtici in-tacti permaneãt. Id quod tandem Deo opt. Max. largiente conſequutus ſum: quando-quidẽ binis aut ternis folijs Breuiarijs atq; Miſſalibus additis, ſiue præpoſitis, ad multa annorum millia S. Eccleſia poterit abſq; vl lo errore, ſacros peragere dies feſtos. Hunc igitur meum laborem, haſq; meas lucubra-tiunculas: ea ſolũ ratione ſanctitudini Tuæ Beatiſs. P. offerre ac dicare auſus ſum: quod ad te ſolum & ad ſanctam Romanam vere quẽ Apoſtolicam ſedem, pertinet hanc ip-ſam quam efflagitamus, anni atq; Calenda rii emendationem conficere, ac executioni demandare. Accipe igitur Beatiſs. P. hoc qualecunque munuſculum tua ſingulari cle mentia, atque humanitate. Quem meum la borem, cum omnibus Chriſtianis, tum in primis tibi Beatiſs. P. gratum ac probatum valde cupio, vel ob id, vt tandem te autore in ſuum priſtinum Candorem celeberrimi dies feſti redeant; Tuaq; Beatiſs. Sanctitas gloriam dignitati tuæ conſentaneam con-ſequatur, nihil enim aliud ad virtutum tua-

rum

rum cumulum adiiciendum videtur, nihil-
que etiam mihi super est, nisi vt Beatiss. de
osculatis pedibus. Deum Opt. Max. de prae-
cer vt Sanctitatem Tuam perpetuò iubeat
bene valere.

Santitatis Tuæ minimus Seruus.

F. Io. Salon Valentinus
ex obser. Franciscana.

SACRO SANCTO ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. DD. CARDI-nalium Collegio; F. Io. Salon Valentinus. Fr. obser. professor.

S. P. O.



Emo est qui ambigat. PP. Ampliß. à Iuly Cæsaris tempore, qui prim Romanum Calendarium instituit, & ann. m ad solis motum exæquauit, ad hanc nostram ætatẽ solstitia & æquinoctia, sedes suas anteuertisse; vt quatuordecim dies, plus minusue, nunc ante contingant, quam olim accidere solebant. Unde factum est, vt sacra dies Paschalis solennitas, nec non & omnia festa, quæ (quoniam lunæ ætatem certã requirunt) mobilia, nuncupantur, variato æquinoctio; & ipsa quoq; necessario vacillent, ac varientur. tãtumq; iam nostra hac tempestate sæpius extra præfixos limites inueniantur, vt 28. necnon 35. diebus tardius fiãt quàm sanctißimi Ro. Pont. sacraq; cõcilia præceperunt sanxerunt ac ordinarunt. Sanè tametsi errores huiusmodi non sint in fide orthodoxa; quam sola illibatam tenet. S. Rom. Eccl. non sunt tamen PP. Amplißimi ferendi ac dißimulandi, ne transgrediamur terminos quos præfixerunt Prisci Patres nostri, yq; sanctißimi. Præsertim cum scirent magnum hic latere mysterium, & sacratißimum esse tem-

ſi tempus illud pleni lunij vernalis æquinoctij, in quo D.N. Ieſus Chriſtus paſſus eſt & reſurrexit: quod Beatiß. Ambroſius & Auguſtinus eleganter proſequuti ſunt. Id nos cū minimè nunc ſeruemus, ſæpius nec menſem, nec lunæ ætatem tenentes, nedum Priſcorum PP. decreta parui facere videmur, ſed & inimicis noſtris Iudæis opprobrio ac ludibrio facti ſumus. Criminantur enim & taxant, quod Paſcha noſtrum non in primo ac legitimo menſe, ſed in ſecundo quod immundis, ad Paſcha peragendum deputabatur, vt in 9. cap. lib. Num. eſt videre: frequēter celebremus. Ea propter olim priſci Patres omnem adhibere ſolicitudinem atq; diligentiam curarunt, vt nunquam tempus præſcriptum præteriret, ſed perpetuò à quartadecima luna primi menſis vſq; in vigeſimam primam, ſacrum Paſcha ab omnibus coleretur. Et vt Beatiß. Ambroſius ait, eo vſq, à vero nos deuiare non conuenit, nec vago ingenio diſcrepare, vt quædam neceſſitas celebritatis huius, omnibus ſit impoſita Chriſtianis. Quandoquidem ipſe Dominus eum elegit diem quo Paſcha celebraret, qui cum obſeruantia vera ratione concurrit. hactenus Ambroſius. Cum igitur Patres Ampliſſimi multoties ſacrum Paſcha ſeptem diebus, ſæpius viginti octo frequentius etiam triginta quinq; diebus, retardetur ac poſt ponatur; & non in primò menſe ſed in ſecundo, & non à quarta decima luna ad vigeſimam primam: ſed ad vigeſimam quartam atq; quintam differatur, cumq; ſenſim iſti errores maiores fiant, & incrementum ſuſcipiant, neceſſe profectò eſt, vt remedium aliquando, ac Pharmacum idoneum adhibeatur. Ad id efficiendum, tametſi viribus impar, multum laborem multis annis inſumpſi: tandemq; Deo, Opt. Maxi. [illegible] . inſpiran

inspirãte, post tot grauissimos, viros qui ea de re libros edidere: Methodum ac modum facillimum atq; breuissimum reperi, quo nullo negotio, poterit Romanum Calendarium pristino candori restitui; & deinceps ad multas ne dicam annorum centurias, sed & ad millia vllo absq; errore festa omnia fælicioribus auspicys celebrari. libellum itaq; super eiusmodi negotio, nunc recens per nos confectum: Vobis Patres Amplissimi, post sanctissimum D. N. dicare ac offerre, iccirco æquum duxi, ac necessarium iudicaui; quod potissimũ vestro sint hac probanda iudicio, vestraq; interesse videatur sacramenti huius mysterium cælo labente interturbatum, in pristinum splendorem, & rectum vsum reuocare. Quamobrem PP. Ampliss. vos etiam atq; etiam rogo, vt libellum hunc licèt pro mea humiliori atq; imbecilliori eruditione impolitum, atq; incultum oratione: Zelo tamẽ Domus Dei ad vtilitatem S. Matris Ecclesiæ conscriptum, vestræ dignitatis ac virtutis magnitudine, exornare siquidem dignum videatur haud dedignemini: & negotium istud apud sanctiss. D. N. benigno fauore prosequi velitis: ad perpetuam quietem atq; tranquillitatem totius populi Christiani. Quodsi laborem hunc meum minimè probaueritis, vel ipsum bene dicendi, ac faciendi conatum, respicere ac cõprobare qua estis humanitate, atq; clementia dignabimini: meq; in vestrorum familiarium numero excipietis. Valete Ecclesiæ sanctæ columnæ atq; tutores. Deus Opt. Max. istum vestrum sacro sanctum collegium, vosq; singulos incolumes semper seruare dignetur.

A Sere.

SERENISSIMO FRANCISCO MEDICAE MAGNO HETRURIAE DUCI AC SACRAE MILITIAE SANCTI STEPHANI MAGNO MAGISTRO.

Frater Iohannes Salon Valentinus deuotissimus. S. P. D.



Olent omnes qui quicquam noui in disciplinis ac bonis artibus moliuntur, Sereniss. ac Magne Dux, patronum aliquem deligere, veluti defensorem ac tutelare numen, aduersus maledicentium latratus, quibus virtus quælibet subiacere perpetuò experti sunt studiosi. Sunt qui vt grati animi indicium signumq; ostendant, ac ab Illustribus suscepta fateantur atque vt possunt compensent beneficia: monumenta sua Principibus consecrare, & illorum nomine illustrare student. Alij etiam alijs multis de causis idipsum facere consueuere. Mihi autem O inclite Dux, qui opusculum hoc, paruum quidẽ atque ineruditum edidi, vitio fortasse nonnulli vertent, quod & Sanctiss. D. N. & Illustrissimos ac Reuerendissimos DD. Cardinei status, atq; Ecclesiæ Sanctæ principes elegerim; quibus minutias hasce vigiliarum mearum dicare temerè tentarim. Quid autẽ si & Tuam Sereniss. Altitudinem te inquã omnino

Christianorum Principum non infimum, tantique Imperij prudentissimum moderatorem, etiam lucubratiunculrum mearum ausim facere defensorem? Verum enim verò tantum abest vt crimen commisisse me si rectè sentio existimare quis rectè possit, vt magnam inde potius laudem mihi tribuendam fore putem, quum si aliter fecissem imprudentis notam nequaquam euasissem. Sanè si libellus hic quauis alia de re dissereret; quilibet vel mediocris vir, mihi satis superquè fuisset vt illius nomine tutus esset, nec magnũ pendenda erat eius iactura, siquid pateretur aduersi. Nunc autem cum nõ Axiomata vel Placita Physica siue Dialectica pertractet: sed rem maximam factuquè nedum scitu dignissimam, & quæ eius sit generis atque naturæ, vt non nisi per Maximos quosque orbis Principes, executioni demandari possit: rectè ego à prudentibus fecisse dicar, & necessariò sic mihi faciundum fuisse omnes testabuntur. Quis enim annum corrigere, Quis sacros dies festos emendare ac in pristinũ statum reducere potest, nisi summus Pont. Sanctæ Roma. Ecclesiæ vniuersalis moderator & rector, ac Christi Iesu vicarius? Quì autem fiet vt id executioni protinus ipso iubẽte mandetur nisi & omnes vnanimi consensu totius orbis mundani Principes conueniant? eidẽq; consentiant? Quę ergo res ad omnes pertinet ab omnibus est approbanda: & quam omnes approbare debent; omnibus proculdubio innotescat oportet. Proinde mihi

mihi ipsi persuadebam plurimum expedire vt omnes Christiani nominis Principes interpellarem ac q ue omni cum possibili reuerentia obsecrarem; quo pijssimi ac feruentissimi Imperatoris Cóstantini zelo accensi Theodosium etiam ac Martianum imitantes curarent vná cum sanctiss. D.N. Pont. Max. & sacro sancto Illust. Reuere. DD. Cardinaliú collegio, dies festos Paschales instaurare, & ad suum legitimú tempus reuocare. Verum cum altos multis de causis in præsentia prætereundos putem; Tuam Altit. Serenniss. Dux, præterire non potui, nec vllo pacto debui. Iure enim optimo tibi debentur fructus quos ego in hoc fœcundiss. ac planè fœliciss. fundo tuæ Sereniss. celsitudinis collegi. Etenim cum fœtum hunc hoc est nouum emendandi Romã. Calendarij modum; Romæ ante annum cœpissem: in hac tua omnium pulcherrima ciuitate Florentię ad integritatem mébrorum veluti ad partum maturam prolem perduxi tandemquè in lucem edidi. Itaque veluti possessionis tuæ legitimæ fructus: ac domus tuę Regię vernaculus. Tuam Sereniss. Altitudinem hic meus libellus vti dominum suum agnoscit ac reueretur. Age igitur Sereniss. Dux, hoc quale quale est munusculú quod ego tibi deditissimus offero; tua singulari clementia amplectere, faue ac promoue. Est enim tanto Principe dignum, neque minus inde honoris & gloriæ speres quàm ex alijs in numeris per tuos progenitores ac per te ipsum preclare gestis. Deus Opt. Max. T. S. A. fœliciter valere iubeat.

Petrus Philippus Asrellus Roccensis ad lectorem.

Hispanus Salon, Anni variantia cursum:
Festáq; sub nodo firma perenne dedit.
Hic lunæ, & solis, solus momenta retractans:
Sub miro solers, ordine nota facit.
Ardua quæq; latent cunctos ab origine Mundi,
Nos docet, hic facili sub breuitate modo.

LAUS DEO.

Index capitum huius tractatus

TRACTATVS DE ROMANI CALENDARII NOVA EMENDATIONE,

Ac Paschalis solemnitatis, cæterorumq; festorum Mobilium reductione, cum nouo Cyclo solari, & nouo modo æquandi Cyclum lunarem, vt perpetuò vsui esse possit,

Autore Reuer. P. Fratre Iohanne Salon Valentino obseruantiæ Franciscanæ alumno.

TRACTATVRVS de festorum Mobilium reductione, ac in primis Pascalis solennitatis recta iuxta Priscorum Patrum decreta celebratione, rei ipsius qua de agitur natura, & dispositione, cogor in quatuor partes, siue capita, opusculum hoc partiri: quibus in partibus quicquid ad præsens institutum attinet, summa cum breuitate, ni fallor, complexus, vel mediocriter, munere meo functum videri potero, sed omissis proemijs rem aggrediamur.

Primum itaque caput, Ipsius sacræ Paschalis festiuitatis ritè celebrandæ legitimum tempus præscribit. Secundum verò, quantum nunc à legis prescripto aberremus, aperit. Tertium porrò quibus vijs huic morbo mederi possit, & quis omnium modorum facilior existimetur, venatur, & ostendit. Postremum sanè caput, qui fiet vt de cætero similes in errores minimè labamur, inquirit, & nouum nunc inuentum modum exponit.

De legitimo Pascalis festiuitatis celebrandæ tempore. Cap. I.

TAmetsi multis hic immorari liceret, & quam Varro ac diuerso modo, ac tempore, olim sacra hæc domini celeberrima festiuitas fuerit obseruata, referre possemus: non est tamen nostri propositi, rem hãc fusius pertractare, nec ab ouo, vti habet prouerbium, exordiri volumus, quin imò superfluis omnibus resecatis, atque reiectis, ea dumtaxat quæ necessaria esse duximus:

quæque ad rationem instituti quod assumpsimus reddendam, sufficere arbitramur, retulisse contenti erimus: siquis vero ampliorem harum rerum notionem habere cupit, is Nicephorum Calisti, Ecclesiasticæ Histo. librum quartum perlegat. Diuum etiam Epiphanium, libr. contra. 80. hæreses videat, in hæresi. 50. 70. & 75. Quod si multa legere iuuat, Paulinam D. Pauli Middeburgensis, Episcopi Forosemproniensis, Calendarium etiam Iohánis stofleriní percurrere non grauetur, id siquis fecerit ad nauseam usque sibi satis factum fore fatebitur. Nos itaque vti præfati sumus, breuitati studentes, solùm necessaria attingemus: sacrum itaque Pascha, ab ipsis fermè Beati Petri Apostoli temporibus, in Ecclesiis occidentalibus præserum à Sancta Romana Ecclesia, die dominico post quartam decimam lunam, quæ vernale sequitur æquinoctium, celebrari coeptum fuit, tametsi alij alibi alium morem seruauerint, ac mordicus ad tempus retinuerint, omnes verò tandem controuersiæ, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ iudicio, vt par erat, cesserunt, tandemquè res ita compositę fuere vt de cætero, die dominico post quartam decimá lunam primi mésis ab vniuersis orthodoxis sacrum Pascha soscepum sit celebrandum. Hæc vt notiora fiant, Canones sanctorum Patrum, & sacrorum conciliorum in medium proferemus.

In primis Sanctorū Apostolorū extat canó, qui septimo scribitur loco in hæc verba. Si quis Episcopus, presbyter, aut diaconus, Sanctum Paschæ diem ante vernum æquinoctium, cum Iudæis celebrauerit, abijciatur, ac deponitor. Pius primus summus Pontifex qui fuit. 11. à Beato Petro in Epistola decretali prima, ad vniuersos fideles ait Decon. D. 3. c. Nosse. Cæterum nosse vos volumus quod Pascha domini, die Dominica annuis solennitatibus sit celebrandum. Istis enim temporibus doctor fidei Hermes & scripturarū, affulsit inter nos. Et licèt nos idem, Pascha prædicta die celebraremus, quia tamen quidam inde dubitarunt, ad corroborandas animas eorum, eidem Hermæ Angelus domini in habitu pastoris apparuit, & præcepit ei, vt Pascha die Dominico ab omnibus celebraretur, vnde & vos Apostolica authoritate instruimus, omnes eadem seruare debere, quia & nos eadem seruamus, nec debetis à capite quoquo modo dissidere. Hęc omnia Beatus Pontifex Pius, quibus verbis Apostolorum canonem', moremquè Rom. Ecclesiæ vetustum, liquidò ostendit atque declarat Deinde victor Primus Pontifex Max. qui 15. post Beatū Petrum loco successit datis latè libellis constituit, vt Pascha die Dominica sicut & predecessor eius Eleute-

rius

rius, à quartadecima luna primi mēsis, vsque in 21. celebraretur. In Epistola pri. decretali ad Theophilum Alexandrinum Episcopum Decon. D. 3. c. Celebritatem. inquit Celebritatem Sācti Paschæ die dominica agi debere, & iam prædecessores nostrij statuerunt, & nos illud vobis eadem die celebrari solenniter mandamus: quia non decet vt membra à capite discrepent, nec contraria gerant. A quartadecima verò luna primi mensis, vsque ad 21. eiusdem mensis diem, eadem celebretur festiuitas. hæc victor.

In prima Synodo quæ post eam de qua in actis Apostolorū in Cæsarea Palestinæ Victore Sum. Pont. adhortante est celebrata, hoc statutum fuit & alijs Eccl sijs traditum imitandum, id Eusebius lib. Eccles. Histo. 5. refert. Præterea Maximum illud Concilium quod Beatiss. Siluestri Papæ tempore sacro Principe Constantino Præsente à. 318. Episcopis ijsq, Sāctissimis in Nicea vrbe Bithyniç initum fuit, magno omnium Sanctorum Patrum consensu, & applausu, hoc ipsum de sacræ Paschalis solennitatis celebratione diffinitum esse grauissimi quique authores testantur. Eusebius lib. 10. & in Historia Tripartita. lib. 2. Nicephorus etiam lib. 4. c. 36 & 38. & lib. 8. c. 19. & 24. Multa præclarè quidē vt solet omnia refert, inter quę hæc scribit. Synodus inquit acta fuis Alexādriæ, Aegypto, & Libiæ, & Pentapoli, literis ad hunc modum perscripsit. Lętum insuper vobis afferimus nuncium, de santissimi Paschatis celebrandi cōsenso. Nam & hæc res precibus vestris, rectè constituta atque ordinata est, fratresquè Orientales omnes, qui antea cum Iudæis fecerunt, ex hoc ipso tempore, cum Romanis & uobis, & cum omnibus alijs qui antiquitus nobiscum Pascha celebrarunt, idse concorditer acturos consenserunt. Gaudete itaque de rebus Ecclesiasticis ordinatis. Qui & Maximi Constantini Imperatoris feruorem & Zelum exponens ait lib. 8. 19. cap. Cæterum Imperator Dei amātissimus, de cōmuni concordia solicitè cogitans, Acesium Episcopum accersitū interrogauit, an rectè sic ab Episcopis essent constituta. Respondisse ait Nihil noui diffinitum esse: se enim et idem dogma à maioribus accepisse, & nunquā aliter Paschæ festum celebrasse. Verum quum huius. S. Concilij Niceni Canon, de Paschali festiuitate, cum alijs multis exciderit, non indignum fuerit, breuiter non nulla alia sacra Cōcilia quæ eundem canonem renouarūt, & ab illa. S. Nicena Synodo diffinitum sic fuisse testata sunt refferre. Sanctiss. Siluester Pont. Max. Paulo post Nicenum, etiam Romæ aliud celebrauit, Sanctorum Patrum. 255. Episcoporum conuentum. Vbi Beatiss. Silue-

ster hæc omnibus consentientibus, verba protulit. Quicquid in Nicea Bithyniæ constitutum est, ad robur Sanctæ matris Ecclesię Catholicæ, & Apostolicæ, in Sanctis sacerdotibus. 318. nostro ore conformiter confirmamus. Omnes autem, qui ausi fuerint, dissoluere diffinitioné Sancti & magni concilij, quod apud Niceá congregatum est, sub præsentia Pijssimi & Venerandi Principis Constantini Augusti, Anathematizamus, & dixerunt omnes. Placet. sequitur. Omnibus Episcopis & presbyteris præceptum est, Paschę obseruantiam custodire, a luna quartadecima vsquè ad vigesimam primam ita vt dominicus dies Corruscet. Et dixerunt Episcopi. Placet. In Synodo etiá Antiochena quæ Nicenum proximè consequuta est Celebrata sub Iulio primo ita sancitum legimus. Omnes qui audeat dissoluere regulam Sancti & magni Concilij Niceni, de Sancta & salutari festiuitate Paschali saluatoris nostri; excommunicatos, & abiectos esse debere ab Ecclesia.

In Calcedonensi autem sic. Omnis qui nó celebrat sanctum diē Paschę secundum Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ regulam, Anathema sit.

Sunt qui asserant Christum Saluatorem nostrum suis discipulis ea de re legem dedisse. In es assertione est Sáctus Cyrillus Episcopus Alexandrinus in epistola ad Innocētium Papam. Sanctum inquiēs Paschę mysterium eiusquè sacræ solēnitas, sicut est a Saluatore nostro Apostolis tradita Illibata mansisset, si ea quorundam insipientium pernecessitas, inter cætera fidei Sacramenta, minimè contaminasset. Ad hæc pulchrè accedunt Scripta Protherij præsidis Alexandrini, qui Leone Pont. primo adhortante cum Principe Martiano, vt Cycli Theophili luculentam rationem redderet, eidem Leoni per Epistolam respondit. Magisterium Beatissimi Apostoli Petri esse computum Paschalis solennitatis, quod ab initio per Beatum Marcum eius discipulum didicerunt Aegyptij, quod etiam primum didicerunt Romani, hactenus ille.

Pretereo nunc, ne in longum nimis protrahatur narratio. Concilium Arelatense primum, tépore Cóstantini atque Beati Siluestri. Concilium item Anglicanum, & alia quam plurima: quæ dicta hactenus sunt sufficiunt abundè, id solum superest, vt mensem lunarem explicemus, quandoquidem ex his quę hactenus diximus, hoc vnum pręcipuè colligimus Priscos nempè Patres statuisse, vt sacrum Pascha perpetuò a 14. Luna vsque in 21. die dominico celebraretur. Ea porro Luna est, vt omnes orthodoxi testantur primi

mensis

mensis iuxta quod Dominus Moysi præcepit dicens Deuter. 16. Obserua mésem nouarum frugũ, & verni primũ temporis, vt facias phase Domino Deo tuo. Primus autem mensis is est in quo veris renascitur tempus. Et quoniam hic de mense Lunari est sermo ea lunatio cuius initium proximum est æquinoctio Verno: siue illum præcedat, siue sequatur primus mensis appellatur De quo in Exodo. 12. cap. Mensis iste vobis Principium mensium primus erit in mẽsibus anni. Et Leuit. 23. cap. ait dominus. Mense primo quartadecima die, ad uesperum Phase domini est: & quintadecima die mẽsis huius solennitas azimorum domini est. Atque eisdem fermè verbis Num. 28. repetitur. Porrò in Deut. cap. 16. sic legimus. Obserua mensem nouarum frugum, & verni primum temporis, vt facias Phase domino Deo tuo, quoniam in isto mense eduxit te dominus Deus tuus de Aegypto. Ex quibus liquidò patet quis primus lunaris mẽsis sit, is videlicet qui vicinior est vernali æquinoctio; is enim lunę ad solem congressus, qui vernali propinquior est æquinoctio, prima anni lunatio est ipsis Hębreis: hac tamen lege vt si nouilunium ipsum pręcedat æquinoctiũ; quarta decima ipsum sequatur, nefas enim est sacrum Pascha ante æquinoctium celebrari. Tria igitur concurrunt in Paschali solenuitate necessariò. Nempe æquinoctium vernum, quartadecima luna, in ipso vel post ipsum. & Dies dominica quę inter ipsam quartamdecimam lunam exclusiuè, & vigesimum primum eiusdem lunę diem inclusiuè, contingit: in ipso enim quartodecimo die non debet etiam si dominicus dies fuerit sacrum Pascha celebrari, quemadmodum Beatiss. Ambrosius in Epistola sua ad omnes Episcopos per Aemiliã constitutos apertissimè tradidit. Atque hæc quidem satis fuerint, pro primo hoc capite. Nunc ad secundum, in quo quantum hac nostra ętate, sequuta præscripto hoc canone aberremus ostensuri sumus, accedamus.

Vnde in Pascha celebratione errores orti sint. Cap. II.

Diximus capite superiori, è duobus pręcipuè festiuitatis Paschalis rationem pẽdere: nempe Vernali æquinoctio, atque lunę ad solem oppositione. Hęc si certam fixámque sedem habere possent, haud quaquam in hac ipsa festiuitate, error vnquã contigisset: verum cum vacillent luminarium motus, sintquè instabiles, necesse est eaquoquè quę ex his pendent variari, Geminus itaq; hunc error obortus est: vnus ex solis motu, ex lunę alter. Cõstat enim

multo-

multorum peritissimorum relatu & authoritate, tempore Iulij Cęsaris, qui primus Calendariũ Romanum, quadragesimo quinto anno ante Christi natalem, ad solis motum aptauit: ęquinoctium Vernale, vigesima quarta & vigessima quinta Martij die contingere solere: semper enim duorũ dierum spatium sibi assignari poposcit, vt inferius apertissime ostensuri sumus, id porrò quod diximus testatur Solinus, Macrobius & Plinius alijque etiam nõ cõtemnendi authores. Vti sunt D. Chrisostomus Isidorus alijque non pauci id quod Tabulę etiam Astrologicę testantur. Notum insuper est sacri Niceni concilij tempore, hoc est circa annum Domini. 323. per tres dies plus minusuè ante vertisse ac pręuenisse locum ac sedem suam: erat enim tum tempore 21. aut 22. die Martij idem ęquinoctium Porrò hoc tempore quis non videt, ad nonum & decimum diem Martij retrocessisse: hoc est per dies quatuordecim aut quindecim ab eo loco vel die quo accidere solebat, tempore Iulij Cęsaris, & per dies vndecim vel circa à sede quam Niceni concilij obtinebat? Id vero vnde proueniat paucis nunc elucidandum est. Aiunt peritissimi Astrologi, ab ingressu solis in primum Arietis cœlestis signi punctum vno anno, ad alterum proximè sequentem ingressum, dies. 365. cum dita parte quarta fermè trãsire. Vnde quarta illa fermè pars pro sex horis sumpta est, quum tamen non sint sex horę completę, vnde quarto quoq; anno dies vnus additur, qui bissextilis dicitur. At quoniam anni quantitas tum exactè nota nõ fuit non nihil plus quam par fuit additum est: inde factum est, vt ęquinoctium paulatim ac sensim initium mensis versus retrocesserit, itaquè centum triginta annis secundum aliquos, vt autem alij putant in centum sex vel centum & octo annis, per integrum diem, sedem suam anteuerterit, sed de his in sequentibus copiosius agemus, quare nũc plura dicere nolumus. Hoc solum firmum retinentes, quod ęquinoctij mutabilitas ad ipsius Paschalis solennitatis mutabilitatem per se satis superquè sufficiens fuit.

Altera deinde vacillandi seu aberrandi ratio, ex lunę motu orta est, vti pręfati sumus: id quod nunc paucis aperiendum est. Adstruunt Mathematici, in annis tercentũ & quatuor, lunam per diem integrum ferè anticipare sedem suam, quo fit vt numerus, qui Aureus nuncupatur, quiquè Calendarijs Romanis, vt lunaro recentem indicaret, inscriptus fuit: minimè perpetuò eam ostendere valeat, id quod luce clarius in breuiarijs & Martyrologijs vetustioribus patet, in quibus quarta aut etiam quinta ostenditur, eo quod à tempore

tempore Concilii Niceni ad hęc nostra tempora per quattuor integros dies, luna suos cum sole congressus pręuenerit. Ex his igitur quę in hoc capite hactenus dicta sunt manifestum euadit: quod si ęquinoctium vt dictum est & luna quarta decima (quę sunt duo Paschalis solennitatis radices ac fundamenta) variantur ad eorum mutationem necesse quoque erit festiuitatem mutari. At cum hęc à tempore Concilii Niceni quatenus ad vsum Ecclesiasticū attinet, minimè mutata aut translata sint, mirum non est, si multoties in his errores contingant. Sanè cum Pascha sacrum dominica prima post quartam decimam lunam, quæ vernale sequitur æquinoctium, sit iuxta Patrum decreta celebrandum, cumque hac nostra tempestate ipsum ęquinoctium nona aut ad plus decima Martii die accidat si decimo die Martii contingat, id quod quandoque euenit lunam esse quartam decimā, & is dies fuerit sabbatinus, proculdubio sequenti die hoc est die vndecima Martii debebit secundum Canones Pascha domini celebrari, vti omnes docti fatentur, nempe Dom. Paulus Mildeburgensis, Episcopus Forosempronienfis Iohannes [illegible] Iohannes Lucidus, atque innumeri alii. Verum enim verò cum nos in vsu Ecclesiastico, non primam quartam decimam lunam post verum nostrum æquinoctium, imò vero illā quę accidit post æquinoctium antiquum, hoc est post illud quod Patres Niceni Cōcilii statuerūt. 21. Martii die teneamus, fit sæpius vt nō in primo mēse, vti in præcepto habemus: sed in secūdo mēse, inque secunda luna, celeberrimam hanc nostram festiuitatem, præter imò contra omne ius peragamus. Præterea cum sit illustris hæc solennitas, in die dominica, quæ inter quintā decimam, & vigesimā primam lunam cadit agenda: nos nō raro eandē colimus luna iam vigesima tertia & vigesima quarta existente hoc est non prima, sed potius secunda dominica post æquinoctium contra Sanctorum Patrum sanctiones. Id quod hoc anno 1576. factum est. Sanè cum recte & ex ordine sacrum Pascha in mense Martio fuisset celebrandū, in mense Aprili actum est; quod autem in Martio agi debuisset liquidò patet: fuit enim lunę coniunctio cum Sole, vltima februarii die post meridiem, hor. 8. cum Minutis. 5. secundum medium lunę motum quo Ecclesia sancta nunc & olim Synagoga vti consueuit, quare nemini dubium est prima Martii die fuisse primam etiam mensis lunaris diem, igitur quintadecima Martii erat pleniluniū & cum æquinoctium præcesserit fuit enim æquinoctium vernale Nona Martii hor. 17. Min. 27. hoc est decima Martii currente, quo

sit vt

fit vt prima sequens dominica quæ fuit. 18. eiusdem mensis die, esse legitimè sacrum Pascha celebrandum; Verum enimuerò cum sancta Ecclesia nondum mutauerit in vsu Ecclesiastico, ipsum æquinoctium, in sequentem lunam quę post. 21. diem eiusdem accidit, festum sæpius nominatum reiecit, & ita ad Aprilem relata, neque tamen in ea intra terminos à Patribus prefixos celebrata est, quando quidem. 22. Aprilis, vt notum est Luna. 24. fuit, vnde dupliciter erratum est in mense videlicet, quia non in primo, sed in secundo Pascha sacrum peregimus: & in luna, cum non a. 14. vsque ad. 21. sed. 24. Sicque triginta quinque diebus tardius omnia festa mobilia aguntur. Et hoc quidem tam frequens est: Vt multo plures sint anni in quibus erratur, quam in quibus ritè festa hæc celebrãtur, adeò vt ab anno Domini 1500. ad annum vsque. 1584. error in annis. 48. inueniatur. Aut enim protrahitur per septem dies, aut per 28. aut per. 35. Id quod continget etiam, an. 1579. 35. diebus sicuti hoc anno postponetur festa omnia anno item. 1584. 28. diebus, & nisi errores huiusmodi corrigãtur, in dies crescẽt, & augebũtur. Sed age postquam errores ostendimus, vi[illegible] emendationis inuestigemus, id sequens caput docebit.

Quibus viis Calendarij erroribus possit prouideri. Cap. III.

COgnitis errorum causis, perfacile, & corrigendi, atque emendandi dignoscentur viæ: quę verò diuersimodè à diuersis excogitatæ sunt. Pręcipuas hic paucis recensebo. Sunt quibus visum est, facile à quã plurimis difficultatibus liberare sese sanctam Ecclesiam posse, si omnia festa ad certum diem fixa statuerentur, ceu festum Natiuitatis Domini, atque Epiphaniæ, & cętera huiusmodi. Ita vellent vt Pascha sacrum, ad certum Martij diem aut iuxta solis non lunæ motum statueretur colendum, Aiunt enim lunam ad synagogam: solem verò ad sanctã Ecclesiam referri: multisque argumentis id persuadere nituntur, prout D. Paulus de Middeburgo in sua Paulina fusius tractat, soluitque omnes rationes illorum. Itaque quod nobis videtur, liberè salua omnium aliter sentientium authoritate, & honore proferemus. Dicimus enim quod quamuis legalia omnia defecerint, & in multo perfectiora transierint, non inde sequitur nos ritum ab Ecclesiã post tot annorum centurias obseruatum, & id quidem magno Mysterio, nunc immutandũ esse, ob emergẽtes difficultates, quę aliter facile vitari possint;

Sanè

Sanè vt D. Augustinus astruit id inter festa mobilia & fixa esse discriminis dicimus, quod fixa seu stata non in mysterium aliquod figurale celebrantur, sed rem tali die gestam reuocant ad memoriam, veluti dies Natalitius domini. At verò mobilia figuram habent, & mysterium continent, vltra rem gestam, sicuti dies passionis, & qui eum comitatur resurrectionis Dominicæ vnde D. Aug. lib. 2. Ad inquisitiones Ianuarij cap. 1. & 2. inquit. Noueris diem Natalem dñi non in sacramento celebrari, sed tantum in memoriam reuocari quod natus sit, ac per hoc nihil opus erit nisi reuolutum anni diem quo ipsa res acta est, festa deuotione significari. Sacramentum est autem in alia celebratione, cum rei gestę, ita rememoratio fit, vt aliquid etiam significari intelligatur, quod sanctè accipiẽdum est. Eo itaq; modo agimus Pascha, vt non id solum in memoriam quod gestum est, reuocemus: idest quod mortuus est Christus & quod resurrexit, sed etiam vt cætera quæ circa ea gesta attestantur, ad sacramenti significationem nõ omittamus: quia sicut dicit Apostolus Rom. 4. Mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostrã & tandem cõcludit. Transitus ergo de hac vita mortali, in aliam vitam immortalem, in passione & resurrectione domini commendatur. D. Ambrosius lib. 10. Epistola 83. Quæ incipit. Non mediocris esse sapientiæ diem celebritatis definire Paschalis. ita dicit. D. fratres dilectissimi, eo usq; a vero nos deuiare non conuenit, nec vago ingenio discrepare, vt quędam necessitas celebritatis huius omnibus sit imposita Christianis. Quando quidem ipse dominus eum diem elegit, quo Pascha celebraret, qui cũ obseruantię veræ ratione concurrit. & addit. Aduertimus igitur quod nõ ad terrena descendere, sed in superioribus locum magnum stratũ quęrere debeamus, vt D. Pascha celebremus, abluere etiam sensus nostros quadam spirituali aqua fontis ęterni, & deuotę celebritatis tenere mensuram nec opinione vulgari dies quosdam explorare lunares, cum Apostolus dicat Gal. 4. Dies obseruatis & tempora & menses & annos, Timeo ne fortè sine causa laborauerim in vobis. Non incipit esse contrarium. Sed aliud est obseruare Gentilitio more, vt qua luna quid adoriendum sit iudices, vt puta quintam esse fugiendam, nihilq; in ea inchoandum, varios quoq; cursus lunę obeũdis negocijs commendare, vel cauere quosdam dies quemadmodũ plerìq; pastores dies Aegyptios declinare cõsueuerunt. Aliud est enim obseruantiam religiosę mentis intẽdere in eum diem, de quo scriptum est. Psal. 117. Hic est dies quẽ fecit D. Nam & si scriptum sit

C quod

quod Pascha Domini. 14. die mensis primi celebrari debeat, & vero quartam decimã lunam ad celebrandũ dominicæ seriem passionis, inquirere debeamus, tamẽ ex hoc possimus intelligere, quod ad huiusmodi solennitatem vel Ecclesiæ perfectio, vel claræ fidei plenitudo quæratur, sicut dixit Propheta cum de filio Dei loqueretur. Psal. 88. Quia sedes eius sicut sol in conspectu meo & sicut luna perfecta in æternum manebit. hactenus Ambrosius: qui & multa alia in eadem Epistola ad hoc idem propositum conducentia scribit, quæ breuitatis ergò missa facimus. Ex his ergo patet quod Ecclesia sancta non quasi legem Mosaicam seruans, sed vt mysterium tenens, sacrum Pascha ad solis & lunę motum obseruat, & licèt summus Pontifex vel sacrum Concilium proculdubio mutare hoc statutum posset, non tamẽ crediderim expedire his præsertim temporibus. Quin & olim legimus Montanum Hæresiarcham habitum, & suos Cataphrigas vocatos damnatus inter cætera, quod Pascha domini non ad lunæ cursum sed duntaxat ad solarem obseruandum dogmatizabant. vti scribit Eusebius lib. 5. Ecclesiasticę historię cap. 14. & seq. Quamobrẽ hac via pœnitus reiecta alias commodiores quęramus.

Vna & quidem breuissima & omnium facillima via est, si æquinoctium ipsum figatur ad decimam Martij diem, ut quo hac nostra tempestate contingit eo enim die fixo vernali ęquinoctio, deinceps ab vndecimo eiusdem Martij die vsq; in 14. Aprilis, vbi luna. 14. inuenta fuerit, sequenti die Dominicę sacrum Pascha ritè celebraretur. Hęc via pro fectò multum mihi arrideret, quod facilis sit, & parnam nouitatem absq; confusione inueheret mundo, verum tamen sunt quædam, quæ eã prorsus obtrudere videntur, nempe quod septuagesima quãdoq; infra octauam Epiphaniæ accideret. & quod nullum tum officium dominicale, posset poni post Epiphaniam, quod videtur inconueniens. Attamen si id nõ tam magnifiat. Hic modus amplecti poterit.

Sic enim fecerant Patres in Concilio Niceno figentes illud in ea sede quã cœlo labente acquisiuerat. Hanc formam D. Petrus de Aliaco, Cardinalis Cameracensis, in Concilio Constantien. amplectendam suadebat. Placet etiam D. Paulo de Midde Burgo Episcopo Forosempronien & Iohanni Rosterino Iohanni Lucido & aliis multis. Accedit & non parua commoditas. Nam tempus Quadragesimæ caderet in dies breuiores & temperatiores, in quibus fideles facilius ieiunarent quam in diebus calidioribus verno tempore iã adulto. Quod si nõ placet sunt & alij duo eiũdẽ. Alius igitur modus est,

vt ęqui-

vt æquinoctium reducatur ad 21. Martij diem vbi tempore Con. Niceni repertum fuit, id per omissionem decem dierum ab aliquo mense, vel anno, vel etiam si anni bissextiles omittãtur per cõtinuos. 40. annos. Hæc forma quantum ad primã placuit D. Nicolao Cusano. & Hermanno Zoesbo in Con. Basilien. in quo Patres ordinabant vt de mense Octobris anni. 1440. aliquot dies subtraherẽtur. Placetq; etiam nunc aliquibus hic modus, Verum enimuerò mihi plus arrideret si æquinoctium ipsum ad sedem quam tempore Iulij Cæsaris possidebat reduceretur, quoniam sic omnia festa nedũ mobilia sed etiam fixa suo tempore, & die proprio quo accidet ooi, de cætero celebrarentur: cõstat enim dominum nostrum Iesum Christum in æquinoctio verno cõceptum, quod tum erat octauo Calendas Aprilis, vt columella, Plinius, Macrobius, & Solinus testantur. D. quoq; Chrysostomus in sermone de Beato Iohanne Baptista asserit Christum incarnatum octauo Calendas Aprilis in æquinoctio vernali: satius ergo existimarem vt ad illud redigeretur, id enim erat corrigere Calendarium Romanum; quatuordecim siquidem aut quindecim bissextus à tempore Augusti Cæsaris, qui errorem per Põtifices introductum emendauit, in cuius emendationis anno vltimo Christus conceptus & natus est, vsq, in præsentem nostram ætatem superfluè facti sunt, qui dies. 14. aut 15. si nũc omitterentur ad illud protinus tempus & ad illam sedem rediret mox æquinoctium. Accedit etiam ad hoc & commoditas quædam in celebrando dominicalia officia quando quidem existente ipso æquinoctio. 21. Martij si ad illud vt quibusdam placet reduceretur: sæpius post octauam Epiphaniæ nullus occurrit Dominicus dies in quo Dominicæ officiũ possit poni, & Euangeliũ illud de Nuptijs legi. Quotiescunq; enim septuagesima agitur. 18. 19. & 20. Ianuarij Nullum Dominicale officium potest in dominica poni, sed infra hebdomadam fit de feria. At vero si ad 24. vel 25. diem Martij æquinoctium vt olim erat redigatur, nunquãd accidet: semper enim vnos ad minus dies Dominicus occurret post octauam Epiphaniæ, in quo prædictum officium celebrari poterit: proinde magis vt diximus conuenit reducere ipsum æquinoctiũ ad 24 siue 25. Martij quam ad 21. Nec nos moltum mouet quod quidam aiunt vel ob reuerentiam vel ob imitationem sanctorum Patrum Con. Niceni ad 21. Martij præstare vt reducatur æquinoctium, quando quidem Patres illi, non statuerunt æquinoctium illud perpetuum, sed à ugle acceperunt & : forIasse existimarunt illud perpetuò sedem æquidem illum seruaturum, neque

etiam sanxerunt Pascha sacrum perpetuò post 21. diem celebrandum, diei illius rationẽ nullam habentes nisi quatinus æquinoctiũ in eo contingebat, proinde decretum illorum non de die mensis solaris sed de mense duntaxat lunari loquitur, & de ipso æquinoctio ita vt a 14. luna ad 21. Dominicus dies coruscet accelebertimus nobis sit. Quod si Patres sacræ Nicenæ Synodi imitari volumus, nõ est profecto immutandum aut reducendum æquinoctium sed relinquendum in 10. siue 11. die Martij in quibus nunc accidit. sic. n. illi sanctissimi Patres fecerunt. Veruntamen quænam via tenenda sit & quis horum modorum melior sit, Tu Pater beatissimæ optimè discernes & præcipies obseruari. Hoc enim abs te obnixe impetrare cupiũt omnes pij filij, & mũdus totus hoc ipsum efflagitat, vt te authore decætero felicioribus auspicijs, festa omnia suo tempore recolantur. Hactenus de corrigendo æquinoctio tollendisq; erroribus sermo est factus. verum quoniam non satis fuerit, collapsum Calendarium instaurare, ac in pristinum vigorem restituere, nisi & ne in futurum collabatur rursus prouisum fuerit: iccirco in sequenti capite remedium ad reconendum ipsum æquinoctium in die in quo fixus vel ad quem reductus fuerit, inuestigabimus.

Aequinoctium sic figere ut non amplius à sede sua dimoueatur, per noui cycli solaris & litterarum dominicalium descriptionem. Cap. 4.

PRecipuus negocij huius scopus est, vt correctis & emendatis erroribus, prouideatur ne in futurum in eisdem rursus labatur, id vt caueamus fieri nequit, nisi anni bisextiles ita componantur vt veram anni solaris quantitatem adæquent, quandoquidem inde orti sunt errores.

Ad id efficiendum diuersa sunt media & varij modi à multis excogitati, prout de anni quantitate variè sensere. Iulius Cæsar qui primus Romanum edidit Calẽdarium Marco Flauio scriba & Sosigene Astronomicę facultatis peritiss. adiuuantibus, putauit Annũ cõstare 365. diebus & horis ses. ex quibus sex horis quarto quoq; anno diem conficiendum & anno inserendum ordinauit: qui annus ex 366. diebus consisteret & iussit diem illum inter 24. & 25. diem Februarij intercalare vnde cum dies 24. Februarij sexto Calendas Martij prænuncetur, ille dies intercalaris bissextilis, cum anno prænominatus est. Et quidẽ si annus ex illis 365. dieb. cũ horis sex præcise constaret, & post istius temporis spatium sol totum Zodiacum pertransiret,

transiret, annus hic à Cęsare institutus perpetuò sibi constans extitisset, & nunquam ęquinoctia aut solstitia dies suos ac loca reliquissent, id quod nulli dubium est accidisse; scribunt enim grauissimi authores tempore Iulij Cæsaris hoc est 45. annis ante Christi D. N. ortum, solstitium hyemale octauo Calendas Ianuarij, & ęquinoctiū vernale octauo Calendas Aprilis contingere solere, vt asserit Collumella lib. de Agricoltura 11. c. 2. Idē testantur Plinius. Macrobius. & alij quamplurimi, vt Iohannes Stoflerinus Paulus de Middeburgo, Episcopus Forosemproniensis; D. quoq; Chrysostomus in sermone de beato Iohanne Baptista. At verò nostra hac ætate ipsum ęquinoctium inuenitur decima siue vndecima die Martij, vnde manifestum est anticipasse diem & sedem per dies quatuordecim fermè, & à tempore Concilij Niceni inquo Patres inuenerunt illum die 21. Martij vsq; ad nos retrouerit sedem suam ad dies 10. plus minusve Sed de hoc infra loquemur. Nunc doctorum opiniones referamus & quænam melior via appareat inuestigemus. Cum igitur æquinoctium locum suum preueniat, & versus mensis principium ascendat, liquidò patet quantitatem anni à Iulio Cæsare designatam, maiorem esse quā re uera sit annus ipse. & quod sol in reuolutione Zodiaci puta ab ingressu ipsius solis in primum Arietis punctum, vsq; ad sequentē ingressum non exigit vltra 365. dies illas sex hor. sed aliquid minus, quo fit vt in 1620. annis qui à prima nostri Calendarij institutione vsq; nunc transiere, quatuordecim anni bissextiles superfluè & vltra quam cœlum postulet facti sint. quamobrem si in futurū cauere errores volumus, post aliquot annos omittendus est aliquis bissextus, vt sic æquinoctium locum suum retinere, perpetuò cogatur: at quando id faciendum sit, & ad quod annorum spatium huiusmodi bissexti omissio protendi debeat, controuertunt doctores.

Quidam enim docent in 132. aut 134 annos id fieri oportere ij. Alfonsum Regem Romanorum & Castelle sequuntur, qui circa annum domini. 1250. vixit & Tabulas Astrologicas composuit, per quas annum ex diebus 365. hor. 5 Minutis 49. sec. 16. constare dicit, vnde 132. aut 134. quoq; anno esset vnus bissextus dimittendus.

Alij Albategnium Arabem sequuti in 106. aut 108. annis bissextum vnum intermittendum fore adstruunt, posuit enim Arabs ille annum esse 365. hor. 5. cum minuti. 46. secūdis 24. ex quo vt dictū est fieret vt in 106. aut 108 annis vnus super abundaret bissextus, quem pertransire oporteret.

Iohannes

Iohannes stofferinus Mathematicus sua ætate eximius, in suo Calendario propositione 38. asserit annum Ab Alfonso Reg. præscriptum non præcise cum solari motu concordare, vnde iuxta propriã opinionem ponit ibi propos. 39. in annis 120. excrescere & superfluere vnum diem bissextilem, quoniam putat annum confici debere ex. 365. diebus hor. 5. Minuti 48. Minutis fermè.

Vnaquæq; harum opinionũ posset suscipi a sancta ecclesia; quoniam per quamlibet istarum vitarentur errores in futurũ; sine enim in Anno centesimo dimittatur bissextus, siue in 108. aut 120. siue postremo in 132. etiam si anni quantitas non fuerit ad vnguem, vel cognita vel seruata, nõ proueniret error notabilis in annis mille, vix enim in 1000. annis excresceret ad vnius diei spatium. Mihi autem vt ingenuè dicam quod sentio, sententia Iohannis stofferini magis arridet; quæ cum ipsa experientia rerum magistra magis ni fallor conuenit, id quod facile colligere valemus. Sanè iuxta sententiam Regis Alfonsi, à tempore Iulij Cęsaris in præsens equinoctium locum suũ preuenisset per dies duntaxat 12. & à tempore Niceni Con. per dies 9. & aliquid amplius quod patet: si enim 1620. tot enim anni à Cęsare vsq; nũc fluxere 45. siquidẽ anno ante Christi ortũ Calendariũ suum obseruari cœpit. si igitur 1620. diuidantur per 132. dabunt pro quotiente 12. remanebuntq; 36. ergo dies 12. & hor. 7. ad plus præuenisset equinoctium Et à Conc. Niceno fluxerunt anni 1259. qui numerus si per. 132 diuidatur in quotiente erunt. 9. & remanebunt 65. quibus horæ 12. respondent: quare dies 9. & hor. 12. intercalati essent superfluè à Concilio Niceno ad nos. Horum autem oppositum experientia ipsa demonstrat, sicuti inferius ostendemus.

Eadem etiam ratione neque Albategni sententia cum ipsa congruit experientia: quando quidem secundum eam à Cæsare vsque nunc equinoctium anteuenisset sedem suam per dies 15. integros & aliquid plus. quod probatur distribuantur 1620. per 106. dabunt in quotiente 15. & superunt 30. vnde vti diximus per dies 15. & horas fermè 8. anticipasset æquinoctiũ & si. 1253. partiamur. per. 106. erunt in quotiente 11. & relinquentur 89. quare 11. integris diebus & horis 20. hoc est 12. fermè diebus à Con. Niceno ad hanc nostram ætatem ascendisset in Calendario initium mensis versus, ipsum equinoctium, quod manifestè repugnat iis quæ doctores scribunt. Rogo igitur vt notentur sequentia. scribit enim D. Paulus Episcopus Forosempronien. lib. 10. primæ partis suæ Paulinæ per

obser-

obseruationes à Ptolomeo factas anno à Christo nato 132. & anno 139. quod tempore Christi æquinoctium vernale erat: in anno quidem bissextili die 23. Martij aliquot horis post meridiem, in anno autem communi die 24. transacta cum horis aliquot 25. diei. Porrò hoc tempore ipsum æquinoctium esse nouimus in anno quidem bissextili die 9. Martij cum horis aliquot 10. diei. & in anno communi die 10. cũ horis aliquot 11. diei. Exemplis rem illustremus hoc anno. 1576. bissextili fuit æquinoctium secundum Tabulas & Ephimerides die 9. Martij hor. 15. Minutis 27. sequenti autem anno qui erit primus post bissextum erit die 9. hor. 23. Minu. 16. at anno 1578. qui erit secũdus post bissextũ, erit die 10. hor. 5. Min. 5. Porro anno 1579. qui erit tertius post bissextum, erit die 10. hor. 10. Minut. 55. Rursusq; anno 1580. qui erit bissextilis erit die 9. hor. 16. Minu. 44. & ita in alijs. Vnde liquidò patet æquinoctium intra duorum dierum spatium semper cõtingere. olim intra 24. & 25. nunc autem intra 10. & 11. dies Martij vnde patet 14. dies nõ autem 12. aut 15. fermè anteuertisse. Quare verior ac iustior existimanda est Iohãnis stoflerini sẽtẽtia, quod videlicet in annis 120. vel circa vnus bissextilis dies omittatur, fiatq; tunc annus communis. sanè si. 1620 per 120. diducantur reddunt in quotiente 13. remanentque. 60 igitur 13. dies integros & hor. 12. fortasse & aliquid plus præcessit æquinoctium. & si. 1253. per 120. partiamur dabunt 10. restabuntque. 53. quo fiet vt ad dies 10. cum dimidio fermè præuenerit sedem suã à Con. Niceno: quoniam vt ipsa docet ratio non integros 14. dies à Iulio Cæsare sed 13. & aliquid amplius neque integros. 11. à Con. Niceno sed 10. & aliquid plus præuenit. Cõcludamus itaq; opinionẽ stoflerini quę inter duas illas extremas mediat videlicet inter Alfonsi Regis, & Albategni sentẽtias, magis amplectendã esse, hãc etiã tenuit Antonius Dulciatus Florentinus religiosus Augustinianus in suo opusculo de reformatione rituis celebrationis festorum mobilium cap. 4. Verum enimuero haud parum conducit Cyclos & tabulas conficere, quibus simpliciores quiq; diuigi facile possint in celebratione festorum mobilium, id enim olim Patres permagni esse duxerunt vnde Cyrillus Alexandrinus Episcopus, Cyclum confecit. Abbas quoq; Dionysius Romanus Cyclum siue Tabulam illã magnam 532. annorum conscripsit, quoniam inuenit post 532. annos omnes literas Dominicales, Aureos item numeros, Epactas, & Cyclos solares, deniq; omnia festa mobilia, redire eodem prorsus ordine, atq; eisdem diebus: sicuti antea contingebant. Vnde perpe-

tuò

sit vt prima sequenti dominica quæ fuit. 18. eiusdem mensis die, esse legitimè sacrum Pascha celebrandum; Verum enimuerò cum sancta Ecclesia nondum mutauerit in vsu Ecclesiastico, ipsum æquinoctium, in sequentem lunam quę post. 21. diem eiusdem accidit, festum sæpius nominatum reiecit, & ita ad Aprilem relata, neque tamen in eo intra terminos à Patribus præfixos celebrata est, quando quidem. 22. Aprilis, vt notum est Luna. 24. fuit, vnde dupliciter erratum est in mense videlicet, quia non in primo, sed in secundo Pascha sacrum peregimus: & in luna, cum non a. 14. vsque ad. 21. sed. 24. Sicque triginta quinque diebus tardius omnia festa mobilia aguntur. Et hoc quidem tam frequens est: Vt multo plures sint anni in quibus erratur, quam ij in quibus ritè festa hæc celebrãtur; adeò vt ab anno Domini 1500. ad annum vsque. 1584. error in annis. 48. inueniatur. Aut enim protrahitur per septem dies, aut per 28. aut per. 35. Id quod continget etiam, an. 1579. 35. diebus sicuti hoc anno postponẽtur festa omnia anno item. 1584. 28. diebus, & nisi errores huiusmodi corrigãtur, in dies crescẽt, & augebũtur. Sed age postquam errores ostendimus, vi[illegible] emendatio[illegible] ctionis inuestigemus, id sequens caput docebit.

Quibus viis Calendarij erroribus possit prouideri. Cap. III.

COgnitis errorum causis, perfacile, & corrigendi, atque emendandi dignoscentur viæ: eę verò diuersimodè à diuersis excogitatæ sunt. Pręcipuas hic paucis recensebo. Sunt quibus visum est, facile aquã plurimis difficultatibus liberare sese sanctam Ecclesiam posse, si omnia festa ad certum diem fixa statuerentur, ceu festum Natiuitatis Domini, atque Epiphaniæ, & cętera huiusmodi. Ita vellent et Pascha sacrum, ad certum Martij diem aut iuxta solis non lunæ motum statueretur colendum, Aiunt enim lunam ad synagogam: solem verò ad sanctã Ecclesiam referri: multisque argumentis id persuadere nituntur, prout D. Paulus de Middeburgo in sua Paulina fusius tractat, soluitque omnes rationes illorum. Itaque quod nobis videtur, liberè salua omnium aliter sentientium authoritate, & honore proferemus. Dicimus enim quod quamuis legalia omnia defecerint, & in multo perfectiora transierint, non inde sequitur nos ritum ab Ecclesiã post 101 annorum centurias obseruatum, & id quidem magno Mysterio, nunc immutandũ esse, ob emergẽtes difficultates, quę aliter facile vitari possint.

Sanè

Sanè vt D. Augustinus astruit id inter festa mobilia & fixa esse discriminis dicimus; quod fixa seu stata non in mysterium aliquod figurale celebrantur, sed rem tali die gestam reuocant ad memoriam, veluti dies Natalitius domini. At verò mobilia figuram habent, & mysterium continent, vltra rem gestam, sicuti dies passionis, & qui eum comitatur resurrectionis Dominicæ vnde D. Aug. lib. 2. Ad inquisitiones Ianuarij cap. 1. & 2. inquit. Noueris diem Natalem dñi non in sacramento celebrari, sed tantum in memoriam reuocari quod natus sit, ac per hoc nihil opus erat nisi reuolutum anni diem quo ipsa res acta est, festa deuotione significari. Sacramentum est autem in alia celebratione, cum rei gestę, ita rememoratio fit, vt aliquid etiam significari intelligatur, quod sanctè accipiẽdum est. Eo itaq; modo agimus Pascha, vt non id solum in memoriam quod gestum est, reuocemus: idest quod mortuus est Christus & quod resurrexit, sed etiam vt cætera quæ circa ea gesta attestantur, ad sacramenti significationem nõ omittamus: quia sicut dicit Apostolus Rom. 4. Mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostrã & tandem cõcludit. Transitus ergo de hac vita mortali, in aliam vitam immortalem, in passione & resurrectione domini commendatur. D. Ambrosius lib. 10. Epistola 83. Quæ incipit. Non mediocris esse sapientiæ diem celebritatis definire Paschalis. ita dicit. D. fratres dilectissimi, eo usq; a vero nos deuiare non conuenit, nec vago ingenio discrepare, vt quędem necessitas celebritatis huius omnibus sit imposita Christianis. Quando quidem ipse dominus eum diem elegit, quo Pascha celebraret, qui cũ obseruantię veræ ratione concurrit. & addit. Aduertimus igitur quod nõ ad terrena descendere, sed in superioribus locum magnum stratũ quęrere debeamus, vt D. Pascha celebremus, abluere etiam sensus nostros quadam spirituali aqua fontis ęterni, & deuotę celebritatis tenere mensuram nec opinione vulgari dies quosdam explorare lunares, cum Apostolus dicat Gal. 4. Dies obseruatis & tempora & menses & annos, Timeo ne fortè sine causa laborauerim in vobis. Non incipit esse contrarium, Sed aliud est obseruare Gentilitio more, vt qua luna quid adoriendum sit iudices, vt puta quintam esse fugiendam, nibilq; in ea inchoandum, varios quoq; cursus lunę obeũdis negocijs commendare, vel cauere quosdam dies quemadmodũ pleriq; pastores dies Aegyptios declinare cõsueuerunt. Aliud est enim obseruantiam religiosę mentis intendere in eum diem, de quo scriptum est. Psal. 117. Hic est dies quẽ fecit D. Nam & si scriptum sit

quod Pascha Domini. 14. die mensis primi celebrari debeat. & vere quartam decimā lunam ad celebrandū dominicæ feriem passionis, inquirere debeamus, tamē ex hoc possimus intelligere, quod ad huiusmodi solennitatem vel Ecclesiæ perfectio, vel claræ fidei plenitudo quæratur, sicut dixit Propheta cum de filio Dei loqueretur. Psal. 88. Quia sedes eius sicut sol in conspectu meo & sicut luna perfecta in æternum manebit. hactenus Ambrosius: qui & multa alia in eadem Epistola ad hoc idem propositum conducentia scribit, quæ breuitatis ergò missa facimus. Ex his ergo patet quod Ecclesia sancta non quasi legem Mosaicam seruans, sed vt mysterium tenens, sacrum Pascha ad solis & lunę motum obseruat, & licèt summus Pontifex vel sacrum Concilium proculdubio mutare hoc statutum posset, non tamē crediderim expedire his præsertim temporibus. Quin & olim legimus Montanum Hæresiarcham habitum, & suos Cataphrigas vocatos damnatos inter cætera, quod Pascha domini non ad lunæ cursum sed duntaxat ad solarem obseruandum dogmatizabant. vti scribit Eusebius lib. 5. Ecclesiasticę historię cap. 14. & seq. Quamobrē hac via penitus reiecta alias commodiores quęramus.

Vna & quidem breuissima & omnium facillima via est, si æquinoctium ipsum figatur ad decimam Martij diem, in quo hac nostra tempestate contingit eo enim die fixo vernali ęquinoctio, deinceps ab vndecimo eiusdem Martij die vsq; in 14. Aprilis, vbi luna. 14. inuenta fuerit, sequenti die Dominico sacrum Pascha ritè celebraretur. Hęc via profectò multum mihi arrideret, quod facilis sit, & paruam nouitatem absq; confusione inueheret mondo, verum tamen sunt quædam, quæ ei prorsus obtrudere videntur, nempe quod septuagesima quādoq; infra octauam Epiphaniæ accideret. & quod nullum tum officium dominicale, posset poni post Epiphaniam, quod videtur inconueniens. Attamen si id nō tam magnifiat. Hic modus amplecti poterit.

Sic enim fecerunt Patres in Concilio Niceno figentes illud in ea sede quā cœlo labente acquisiuerat. Hanc formam D. Petrus de Aliaco, Cardinalis Cameracensis, in Concilio Constantien. amplectendam suadebat. Placet etiam D. Paulo de Midde Burgo Episcopo Forosempronien. & Iohanni Stoflerino Iohanni Lucido & aliis multis. Accedit & non parua commoditas. Nam tempus Quadragesimæ caderet in dies breuiores & temperatiores, in quibus fideles facilius ieiunarent quam in diebus calidioribus verno tempore eū adulto. Quod si nō placet sunt & aliū duo modi. Alius igitur modus est,

vt ęqui-

vt æquinoctium reducatur ad 21. Martij diem vbi tempore Con. Niceni repertum fuit, ad per omissionem decem dierum ab aliquo mense, vel anno, vel etiam si anni bissextiles omittātur per cōtinuos. 40. annos. Hæc forma quantum ad primā placuit D. Nicolao Cusano. & Hermanno Zoestro in Con. Basilien. in quo Patres ordinabant vt de mense Octobris anni. 1440. aliquot dies subtraherētur. Placetq; etiam nunc aliquibus hic modus, Verum enimuerò mihi plus arrideret si æquinoctium ipsum ad sedem quam tempore Iulij Cæsaris possidebat reduceretur, quoniam sic omnia festa nedū mobilia sed etiam fixa suo tempore, & die proprio quo acciderunt, decætero celebrarentur: cōstat enim dominum nostrum Iesum Christum in æquinoctio verno cōceptum, quod tum erat octauo Calendas Aprilis, vt columella, Plinius, Macrobius, & Solinus testantur. D. quoq; Chrysostomus in sermone de Beato Iohanne Baptista asserit Christum incarnatum octauo Calendas Aprilis in æquinoctio vernali: satius ergo existimarem vt ad illud redigeretur, id enim erat corrigere Calendarium Romanum; quatuordecim siquidem aut quindecim bissextus à tempore Augusti Cæsaris, qui errorem per Pōtificem introductum emendauit, in cuius emendationis anno vltimo Christus conceptus & natus est, vsq; in præsentem nostram ætatem superflue facti sunt, qui dies. 14. aut 15. si nūc omitterentur ad illud pristinus tempus & ad illam sedem rediret mox æquinoctium. Accedit etiam ad hoc & commoditas quædam in celebrando dominicalia officia quo modo quidem existente ipso æquinoctio. 21. Martij si ad illud vt quibusdam placet reduceretur; sæpius post octauam Epiphaniæ nullus occurrit Dominicus dies in quo Dominicæ officiū possit poni, & Euangeliū illud de Nuptijs legi. Quotiescunq; enim septuagesima agitur. 18. 19. & 20. Ianuarij Nullum Dominicale officium potest in dominica poni, sed infra hebdomadam fit de feria. At vero si ad 24. vel 25. diem Martij æquinoctium vti olim erat redigatur, nunquā id accidit: semper enim vnus ad minus dies Dominicus occurret post octauam Epiphaniæ, in quo prædictum officium celebrari poterit: proinde magis vt diximus conuenit reducere ipsum æquinoctiū ad 24. siue 25. Martij quam ad 21. Nec nos multum mouet quod quidam aiunt vel ob reuerentiam vel ob imitationem sanctorum Patrum Con. Niceni ad 21. Martij præstare vt reducatur æquinoctium, quando quidem Patres illi, non statuerunt æquinoctium illud perpetuum, sed è cœlo acceperunt & fortasse existimarunt illud perpetuā sedem æquinoctium illum seruaturum, neque

etiam sanxerunt Pascha sacrum perpetuò post 21. diem celebrandum, diei illius rationē nullam habentes nisi quatinus æquinoctiū in eo contingebat, proinde decretum illorum non de die mensis solaris sed de mense duntaxat lunari loquitur, & de ipso æquinoctio ita vt a 14. luna ad 21. Dominicus dies corruscet accelebrandus nobis sit. Quod si Patres sacræ Nicenæ Synodi imitari volumus, nō est profecto immutandum aut reducendum æquinoctium sed relinquendum in 10. siue 11. die Martij in quibus nunc accidit. sic. n. illi sanctissimi Patres fecerunt. Veruntamen quænam via tenenda sit & quis horum modorum melior sit, Tu Pater beatissime optime discernes & præcipies obseruari. Hoc enim abs te obnixe impetrare cupiūt omnes pij filij, & mūdus totus hoc ipsum efflagitat, vt te authore deceteto felicioribus auspicijs, festa omnia suo tempore recolantur. Hactenus de corrigendo æquinoctio tollendisq; erroribus sermo est factus. verum quoniam non satis fuerit, collapsum Calendarium instaurare, ac in pristinum vigorem restituere, nisi & ne in futurum collabatur rursus prouisum fuerit: iccirco in sequenti capite remedium ad retinendum ipsum æquinoctium in die in quo fixus vel ad quem reductus fuerit, inuestigabimus.

Aequinoctium sic figere ut non amplius à sede sua dimoueatur, per noui cycli solaris & literarum dominicalium descriptionem. Cap 4.

PRæcipuus negocij huius scopus est, vt correctis & emendatis erroribus, prouideatur ne in futurum in eisdem rursus labamur, id vt caueamus fieri nequit, nisi anni bissextiles ita componantur vt veram anni solaris quantitatem adæquent, quandoquidem inde orti sunt errores.

Ad id efficiendum diuersa sunt media & varij modi a multis excogitati, prout de anni quantitate variè sensere. Iulius Cæsar qui primus Romanum edidit Calēdarium Marco Flauio scriba & Sosigene Astronomicæ facultatis peritiss. adiuuantibus; putauit Annū constare 365. diebus & horis sex. ex quibus sex horis quarto quoq; anno diem conficiendum & anno inserendum ordinauit: qui annus ex 366. diebus consisteret & iussit diem illum inter 24. & 25. diem Februarij intercalare vnde cum dies 24. Februarij sexto Calendas Martij prænotetur, ille dies intercalaris bissextilis, cum anno prænominatus est. Et quidē si annus ex illis 365. dieb. cū horis sex precise constaret, & post istius temporis spatium sol totum Zodiacum pertransiret,

transiret, annus hic à Cęsare institutus perpetuò sibi constans extitisset, & nunquam ęquinoctia aut solstitia dies suos ac loca reliquissent, id quod nulli dubium est accidisse; scribunt enim grauissimi authores tempore Iulij Cęsaris hoc est 45. annis ante Christi D. N. ortum, solstitium hyemale octauo Calendas Ianuarij, & ęquinoctiũ vernale octauo Calendas Aprilis contingere solere, vt asserit Collumella lib. de Agricoltura 12. c. 2. Idẽ testantur Plinius. Macrobius. & alij quam plurimi, vt Iohannes stofferinus Paulus de Middeburgo, Episcopus Forosempronienśis; D. quoq; Chrysostomus in sermone de beato Iohanne Baptista. At verò nostra hac ętate ipsum ęquinoctium inuenitur decima siue vndecima die Martij, vnde manifestum est anticipasse diem & sedem per dies quatuordecim fermè, & à tempore Concilij Niceni inquo Patres inuenerunt illum die 21. Martij vsq; ad nos retrouertit sedem suam ad dies 10. plus minusve. Sed de hoc infra loquemur. Nunc doctorum opiniones referamus & quęnam melior via appareat inuestigemus. Cum igitur ęquinoctium locum suum preueniat, & versus mensis principium ascendat, liquidò patet quantitatem anni à Iulio Cęsare designatum, maiorem esse quã re uera sit annus ipse. & quod sol in reuolutione Zodiaci pura ab ingressu ipsius solis in primum Arietis punctum, vsq; ad sequentẽ ingressum non exigit vltra 365. dies illas sex hor. sed aliquid minus, quo fit vt in 1620. annis qui à prima nostri Calendarij institutione vsq; nunc transiere, quatuordecim anni bissextiles superfluè & vltra quam cœlum postulet facti sint. quamobrem si in futurũ cauara errores volumus, post aliquot annus omittendus est aliquis bissextus, vt sic ęquinoctium locum suum retinere, perpetuò cogatur: at quando id faciendum sit, & ad quod annorum spatium huiusmodi bissexti omissio protendi debeat, controuertunt doctores.

Quidam enim docent in 132. aut 134. annos id fieri oportere ij. Alfonsum Regem Romanorum & Castelle sequuntur, qui circa annum domini. 1250. vixit & Tabulas Astrologicas composuit, per quas annum ex diebus 365. hor. 5. Minutis 49. sec. 16. constare dicit, vnde 132. aut 134. quoq; anno esset vnus bissextus dimittendus.

Alij Albategnium Arabem sequuti in 106. aut 108. annis bissextum vnum intermittendum fore adstruunt, posuit enim Arabs'il è annum esse 365. hor. 5. cum minuti. 46. secũdis 24. ex quo vt dictũ est fieret vt in 106. aut 108. annis vnus super abundaret bissextus, quem pertransire oporteret.

Iohannes

Iohannes Stoflerinus Mathematicus sua ætate eximius, in suo Calendario propositione 38. asserit annum Ab Alfonso Reg. præscriptum non precise cum solari motu concordare, vnde iuxta propriã opinionem ponit ibi propos. 39. in annis 120. excrescere & superfluere vnum diem bissextilem, quoniam putat annum confici debere ex. 365. diebus hor. 5. Minuti 48. Minutis fermè.

Vnaquæq; harum opinionũ posset suscipi a sancta ecclesia; quoniam per quamlibet istarum vitarentur errores in futurũ; siue enim in Anno centesimo dimittatur bissextus, siue in 198. aut 120. siue postremo in 132. etiam si anni quantitas non fuerit ad vnguem, vel cognita vel seruata, nõ proueniret error notabilis in annis mille, vix enim in 1000. annis excresceret ad vnius diei spatium. Mihi autem vt ingenuè dicam quod sentio, sententia Iohannis Stoflerini magis arridet: quæ cum ipsa experientia rerum magistra magis ni fallor cõuenit, id quod facile colligere valemus. Sanè iuxta sentẽtiam Regis Alfonsi, à tempore Iulij Cæsaris in præsens equinoctium locum suũ, preuenisset per dies duntaxat 12. & à tempore Niceni Con. per dies 9. & aliquid amplius quod patet: si enim 1620. tot enim anni à Cæsare vsq; nũc fluxere 45. siquidẽ anno ante Christi ortũ Calendariũ suum obseruari cœpit. si igitur 1620. diuidantur per 132. dabunt pro quotiente 12. remanebuntq; 36. ergo dies 12. & hor. 7. ad plus præuenisset equinoctium Et à Conc. Niceno fluxerunt anni 1255. qui numerus si per. 132. diducatur in quotiente erunt. 9. & remanebunt 65. quibus horæ 12. respondent: quare dies 9. & hor. 12. intercalari essent superfluè a Concilio Niceno ad nos. Hoc tamen autem oppositum experientia ipsa demonstrat, sicuti inferius ostendemus.

Eadem etiam ratione neque Albategni sententia cum ipsa congruit experientia: quando quidem secundum eam à Cæsare vsque nunc equinoctium anteuertisset sedem suam per dies 15. integros & aliquid plus. quod probatur distribuantur 1620. per 106. dabunt in quotiente 15. & superunt 30. vnde vti diximus per dies 15. & horas fermè 8. anticipasset æquinoctiũ & si. 1255. partiamur. per. 106. erunt in quotiente 11. & relinquentur. 89. quare 11. integris diebus & horis 20. hoc est 12. fermè diebus à Con. Niceno ad hanc nostram ætatem ascendisset in Calendario initium mensis versus, ipsum equinoctium, quod manifestè repugnat ijs quæ doctores scribunt. Rogo igitur vt notentur sequentia. scribit enim D. Paulus Episcopus Forosempronien. lib. 10. primæ partis suæ Paulinæ per

obser-

obseruationes à Ptolomeo factas anno à Christo nato 132. & anno 139. quod tempore Christi æquinoctium vernale erat: in anno quidem bissextili die 23. Martij aliquot horis post meridiem, in anno autem communi, die 24. transacta cum horis aliquot 25. diei. Porrò hoc tempore ipsum æquinoctium esse nouimus in anno quidem bissextili die 9. Martij cum horis aliquot 10. diei. & in anno communi die 10. cũ horis aliquot 11. diei. Exemplis rem illustremus hoc anno. 1576. bissextili fuit æquinoctium secundum Tabulas & Ephimerides die 9. Martij hor. 17. Minutis 27. sequenti autem anno qui erit primus post bissextum erit die 9. hor. 23. Minu. 16. at anno 1578. qui erit secũdus post bissextũ, erit die 10. hor. 5. Min. 5. Porro anno 1579. qui erit tertius post bissextum, erit die 10. hor. 10. Minuti 55. Rursusq; anno 1580. qui erit bissextilis erit die 9. hor. 16. Minu. 44. & ita in alijs. Vnde liquidò patet æquinoctium intra duorum dierum spatium semper cõtingere, olim intra 24. & 25. nunc autem intra 10. & 11. dies Martij vnde patet 14. dies nõ autem 12. aut 15. fermè antecessisse. Quare verior ac tutior existimanda est Iohãnis Stoflerini sẽtẽtia, quod videlicet in annis 120. vel circa vnus bissextilis dies omittatur, fiatq; tunc annus communis. sanè si. 1620. per 120. diducantur reddunt in quotiente 13. remanentque. 60 igitur 13. dies integros & hor. 12. fortasse & aliquid plus præcessit æquinoctium. & si. 1253. per 120. partiamur dabunt 10. restabuntque. 53. quo fiet vt ad dies 10. cum dimidio fermè præuenerit sedem suã à Con. Niceno: quoniam vt ipsa docet ratio non integros 14. dies à Iulio Cæsare sed 13. & aliquid amplius neque integros. 11. à Con. Niceno sed 10. & aliquid plus præuenit. Cõcludamus itaq; opinionẽ Stoflerini quę inter duas illas extremas mediat videlicet inter Alfonsi Regis, & Albategni sentẽtias, magis amplectendã esse, hãc etiã tenuit Antonius Dulciatus Florentinus religiosus Augustinianus in suo opusculo de reformatione rims celebrationis festorum mobilium cap. 4. Verum enimuero haud parum conducit Cyclos & tabulas conficere, quibus simpliciores quiq; dirigi facile possint in celebratione festorum mobilium, id enim olim Patres permagni esse duxerunt vnde Cyrillus Alexandrinus Episcopus, Cyclum confecit, Abbas quoq; Dionysius Romanus Cyclum siue Tabulam illã magnam 532. annorum conscripsit, quoniam inuenit post 532. annos omnes literas Dominicales, Aureos item numeros, Epactas, & Cyclos solares, deniq; omnia festa mobilia, redire eodem prorsus ordine, atq; eisdem diebus: sicuti antea contingerant. Vnde perpe-

tuò

tuò Ecclesiæ sanctæ vsui fore existimauit, & fuisset quidem, si æquinoctium sedem perpetuam habere posset, nec nō & lunaris Cyclus. At cum hęc duo fixū locum in Calendario habere minimè queant, factum est vt eiusmodi tabulam sequētes in errores laberemur, sed age videamus an possit nunc Cyclus aliquis institui, per quem pro fugatis erroribus, dirigi perpetuò in ijs festis agendis sancta Ecclesia valeat.

Aloisius Lilius Medicus excellentiss. & Mathematicus haud vulgaris Alfonsum Regem in anni quantitate imitatus, Cyclum magnum 400. annorum excogitauit, in quibus 400. annis dimitterentur tres bissexti, ita quod vnius bissexti omissio 133. annis responderet, volebatq; vt in anno centesimo magni Iubilei, dies ille intercalaris omitteretur: in tribus quidem primis centesimis, in quarto verò centenario nolebat vt dimitteretur, quoniā in annis 300. non debent tres omitti, quod ergo plus in illis datum erat in 4. ipse corrigebat, atq; ita perpetuò procedendum erat vt centesimo quoq; anno dimitteretur dies ille bissextilis in tribus centurijs, in quarto vero nequaquam omitteretur sed fieret bissextus. Quam quidem Lilij sententiam, cum eius liber Romæ Anno Sanctissimi Iubilei nuper transacto mihi traditus esset, vt meam sententiam de illo apud Reuerendiss. D. Episcopū Soranum. S.D.N. Thesaurarium & congregationis super reductionem festorum mobilium Præsidem refferrem, placebat certè hominis ingenium & probabam inuentum, tamen si viderem non ad amussim conuenire quia tamen alius non apparebat conueniētior modus, laudabā Lilij Cyclum & Tabulam. Atqui dum essem cū Reuerendiss. P. N. Fratre Christoforo à capite fontium totius N Seraphici instituti Generali Ministro dignissimo, viro vtiq; in omni disciplinarum genere eruditiss. & quod ijs prestat virtutis omnis lucidissimo speculo atq; exemplari pulcherrimo, & suæ Reuerendiss. P. Lilij sententiā referrem & probandam existimarem, rogauit prefatus Pater an in centum annis superabundaret bissextus, probè enim nouerat Doctiss. P. id minimè motui cęlesti cōuenire, Respondi ego in centum & triginta duos aut in 134. secundum Alfonsi Regis Tabulas, cur ergo inquit cōsulitis in 100. anno omitti? Quoniam aiebam est annus celebris famosus & sacer sacro Iobeleo dicato. Intulit statim Reuerendiss. P. Quid attinet Annus Iobeleus ad æquinoctium, aut æquinoctiū cum Iobeleo: quid interest. Non mihi placet ista rerum spiritualium cum naturalibus commixtio sine confusio, sequimini naturam ipsam & si in 106.

aut

aut 108. dimittẽdus est bissextus dimittatur si autẽ in 120. aut 132. aut 134. idipsum etiã amplectimini. In his inquit quæ natura constant naturaliter procedere oportet spiritualia habent suas contẽplationes & intẽtiones mysticas, quas nõ est opus cũ naturalibus cõiungere ac admiscere. Itaq; audita tanti Patris sententia cõcurrentibus etiã aliquibus, & doctis & pijs viris, victusq; totũ rationibus etiã illius Cycli 400. annorũ prolixitatis pertęsus, cępi diligẽtius inuestigare atque perquirere, an posset vllo ingenio, methodus aliqua breuior, atq; ipsi naturę magis affinis inueniri, per quã facilius ęquinoctiũ ipsum exæquari posset, & in sua sede perpetuo retineri. Deus autẽ opt. Max. qui rectè ac diligẽter quærẽtibus nunquã deest, mihi indigno sensum aperiẽs donauit Cyclũ centũ 24. annorũ inuenire, qui per perpetuò sanctæ Ecclesię vsui esse poterit. Finito. n. hoc 124. annorum Cyclo rursus à capite semper reincipiendum atq; inchoandum erit, & prætermisso vltimi anni videlicet 124. die intercalari, sedem suam perpetuò aut ad multa annorum millia retinebit æquinoctium. Hoc enim asserit D. Iohannes Stoflerinus quod si in 120. annis aut circa omittatur vnus bissextus, multa annorũ millia percurrent, antequam error inueniatur in Calendario. Mirum autem est & à Diuina vt videtur dispositione ordinatum quod non potest Cyclus aliquis componi atq; institui motui Cœlesti propinquior & facilior, quam iste 124. annorum per nos nunc inuentum, neque ad centum & sex aut etiam ad 132. aut 134. quinimo à centum vsq; ad 200. tribus duntaxat locis Cyclus eiusmodi construi potest, nempe in 124. in 152. & in 180. ex quibus primus solus sanctæ Ecclesiæ hoc in negocio vtilis esse valet. Ordinantur siquidem in eo litteræ Dominicales cum suis bissextis quarto quoq; anno sicuti hactenus obseruauit sancta Rom. Eccle. vsq; in 120. annum in quo anno eorum spatio 30. intercalabũtur dies bissextiles. Porrò vltimus Cycli annus videlicet 124. qui & ipse intercalaris esse debebat fiet communis & sic quod in illis 30. bissextilibus diebus amplius & abundantius tributũ fuit, corrigetur, & emendabitur, per huius vltimi omissioné, proinde & æquinoctiũ fixũ stabit. & Cyclus ipse vti anteà diximus suũ initiũ repetet currentibus ordine eodẽ literis ipsis Dominicalibus. Non est autẽ hic opus Cyclũ hunc nouũ multis cõmendare, sat est. n. quod motui cęlesti apprimè cõuenit secundũ eximiũ D. Io. Stoflerinũ nec ab Alfonsino calculo multũ discrepat, vix. n. in 48. secũdis, hoc est minus quã vnũ minutũ horæ sit, est differẽtia, sed age ipsum Cyclũ peruium faciamus, atq; ante oculos exponamus.

D Cyclus

Cyclus Perpetuus Solaris & litterarum Dominicalium post 124. annos semper ad caput rediens.

An. Cy.	lit. Do.	Anu. biss.	An Cy.	lit. Do.	An. biss.
1	A		33	c	
2	g		34	b	
3	f		35	A	
4	e d	biss.	36	g f	biss.
5	c		37	e	
6	b		38	d	
7	A		39	c	
8	g f	biss.	40	b A	biss.
9	e		41	g	
10	d		42	f	
11	c		43	e	
12	b A	biss.	44	d c	biss.
13	g		45	b	
14	f		46	A	
15	e		47	g	
16	d c	biss.	48	f e	biss.
17	b		49	d	
18	A		50	c	
19	g		51	b	
20	f e	biss.	52	A g	biss.
21	d		53	f	
22	c		54	e	
23	b		55	d	
24	A g	biss.	56	c b	biss.
25	f		57	A	
26	e		58	g	
27	d		59	f	
28	c b	biss.	60	e d	biss.
29	A		61	c	
30	g		62	b	
31	f		63	A	
32	e d	biss.	64	g f	biss.

Residuum Cycli perpetui: Ann. Cy.	litt. Domi. Ann.	biss.	Residuum Cycli Perpetui. Ann. Cy.	litt. Domi. Ann.	biss.
65	e		97	g	
66	d		98	f	
67	c		99	e	
68	b A	biss.	100	d c	biss.
69	g		101	b	
70	f		102	A	
71	e		103	g	
72	d c	biss.	104	f e	biss.
73	b		105	d	
74	A		106	c	
75	g		107	b	
76	f e	biss.	108	A g	biss.
77	d		109	f	
78	c		110	e	
79	b		111	d	
80	A g	biss.	112	c b	biss.
81	f		113	A	
82	e		114	g	
83	d		115	f	
84	c b	bi	116	e d	biss.
85	A		117	c	
86	g		118	b	
87	f		119	A	
88	e d	biss.	120	g	biss.
89	c		121	e	
90	b		122	d	
91	A		123	c	
92	g f	biss.	124	b communis sine biss.	
93	e				
94	d				
95	c				
96	b A	biss.			

Finis Cycli.

Hic vltimus annus Cycli huius fiet vt diximus communis hoc est non intercalaris, & mox incipietur à capite: vt æquinoctium fidem suam non deserat. Non est autem periculum quod obliuioni tradatur ordo hic & Cyclus (id enim timentes quidam fatius iudicabant vt in centesimo anno bissextus omitteretur) quando quidē si semel admissus fuerit, & breuiarijs inscriptus nullus vsum ipsius & initium atq; finem ignorabit. Atq; hęc quidem pro præsenti capite sufficiant. Reliquum est vt ad rationem Cycli lunaris reddendā sermonem nostrum conuertamus.

Cycli lunaris æquatio ad multa annorum millia docetur. Cap. 5.

Reliquum est vt Aurei numeri siue lunaris Cycli rationē paucis exponamus & eius vsum perpetuum æquatione adhibita doceamus. Beatus enim Ambrosius in Epistola quam supra citauimus ait excogitasse Patres in Cōcilio Niceno Cyclum illum Endecaterida hoc est decem nouennalem. Qui Calendario Romano adscriptus recentem per singulos anni menses lunam indicaret. Quoniam post decem & nouem annos rursus luna coit cū sole die eodem, quo decem & nouem annis ante congressa fuerat. Verum non eadem hora suam tenet coniunctionem, sed per horam & dimidium horæ fermè præuenit hoc est per horam & 28. Min. præuenit vigesimo quoq; anno: quo fit vt in 304. annis, vel circa, per integrū diem anteuertat luna & præueniat locum siue diem coniunctionis suæ cum sole; itaq; luna quæ tempore Concilij Niceni fuit noua vt vocant hoc est soli coniuncta die. 5. Ianuarij nunc congreditur prima eiusdem mensis, verbi gratia. Anno domini. 322. lunæ coitus cum sole fuit die Ianuarij 4. hor. 6. Min. 46. hoc est quinta Ianuarij currente per horas ferè septem vt patet per Tabulas Astrologicas. At verò idē lunæ ad solem congressus, hoc anno præsenti 1576. fuit prima Ianuarij die currente per hor. 18. Min. 53. vt ipsemet Tabulæ comprobant, fuit autem Aureus numerus 19. in vtroq; horum annorū vt notū est, quare Patres illi Cōcilij Niceni è regione diei 5. Ian. 19. posuerunt, qui lunam tum recentē indicaret. Nunc verò in Breuiarijs & Missalibus iurè translatus est ad primam Ianuarij quū in eo die currente 19. aur. numer. vt visum est luna 5. ante meridiē hora soli iuncta fuerit in cœlo. Ex quibus patet ab anno domini 322. vsq; in præsens lunationes per dies quatuor integros & aliquid plus, præuenisse congressus suos quoniam vti asserunt communiter

Doctissimi

Doctissimi astrologi in annis 304. anticipant vno integro die. quę admodum æquinoctium in annis 120. vel circa vti supra diffeniuimus. Quamobrem difficile admodum visum est peritissimis Mathematicis emendari Calendarium posse, ita vt perpetuò retineri valeat quoniam si in annis 120. aut 132. equinoctium corrigatur per vnius diei omissionem Aureus numerus & Cyclus ipse lunaris interturbabitur adeò vt non iam recentē amplius indicet lunam breuiq; inutilis prorsus reddatur. Icirco quibusdam visum est centesimo quoq; anno oportere Calendarium renouare & Cyclum cōgruētem aptare in quam ego sententiam aliquando incidi, alij verò vt Aloisius ille Lilius cuius antea meminimus Cyclum istum priscorum Patrum abolendum prorsus è libris existimant, & nouū quendam Cyclum quem epactarum appellant inuehere nituntur, Votum si rectè res pensitetur nō est magni pendenda eorum ratio, Primum quod Cyclus ille re uera non est epactalis deinde quod neque diu duraturus est nisi sepius æquatione adhibita, Preterea quod difficilis sit tabellarum illarum quas ingerit intelligentia, & vix simplicioribus quorū maior numerus est in clero perceptibilis captu, Postremò etiam si maximè clara atque perspicua hæc omnia forent nouitatis tamen sola ratione displicerent, cum enim tot annorum centurijs vsa sit sancta Ecclesia Cyclo illo sanctorum Patrum, haud æquum videtur nunc, illo reiecto alium nouum amplectēdum esse nulla præsertim vrgente necessitate. Vnde satius nobis videtur equatione adhibita, vt vetustissimus hic noster Cyclus & Aureus qui dicitur numerus decætero etiam retineatur. Id quod fieri facile posse Deo donante comperimus, nulla enim in eo mutatione vel alteratione facta in libris Ecclesiasticis, sed denominatione duntaxat & voce tenus, quando opus fuerit immutatus: perpetuò viui esse poterit: Porrò quando immutandus erit breui tabella & iodice ad duo vel tria annorū millia indicabimus. Sed age clarius, quod dicimus exponamus Sanè si Cyclus ille 124. annorum, quem præcedenti capite descripsimus, & per quem vernale æquinoctium semper in sua sede retineri potest, susceptus & admissus à sancta Ecclesia fuerit, haud dubium quod & iste Aurei numeri Cyclus, eidem facile adaptabitur; quum enim vltimus illius Cycli annus præter ordinem communis non bissextilis futurus sit, continget quandoq; vt omissio illius diei deseruiat æquationi motui lunaris & ordini & situi ipsius Aurei numeri in Calendarijs, id quando accidet nulla fiet alteratio vel mutatio ipsius Cycli lunaris, continget autem aliquando

vt die

vt die illo omisso lunę coitus cum sole ad diem, tantum postergatur ac reijciatur, quare tum Aureus numerus non rectè indicaret lunam recentem, sed necesse erit vt fiat saltus ac trāsitus in eo vt sic exequatus deseruire possit, huiusmodi vero exęquatio fiet in principio illius Cycli 124. toto enim Cyclo illo curret ordine suo sicuti hactenus fecit, non nunquam etiam ad duos etiam Cyclos aptus erit, ita quod aliquando post 124. annos, aliquando verò post 248. mutabitur. Id porrò absurdum nemini aut incōueniens videri debet, quod videlicet in principio aliquorum Cyclorum voce tenus minuetur, quum id non pro nostra libertate, sed in euitabili potius necessitate coacti faciamus ad hoc vt præfatus Cyclus Ecclesiæ sanctæ vsui esse valeat, ac ministerium suum exequi plane possit, Nam quero quam ob causam inuentus & ad sumptus fuit à Patribus, nisi vt lunam recentem indicaret? Cur autem in errores pro lapsi sumus in celebratione festorum nisi quia nunquam à tempore sacri Concilij Niceni neque Cyclus hic neq; æquinoctium adæquata sunt? Quis autem facilior modus ad id quam quem in præsens adducimus? Si quis habet in medium adducat & læti exosculabimur, quando quidem in præsenti negocio teste Deo testeq; propria conscientia, nihil aliud quærimus, nihil desideramus præter commune bonum, & sacrorū canonū super recta Paschalis solennitatis celebratione instaurationem, atq; reductionem. Hic enim noster modus breuis est & clarus nullam difficultatem ingerit, neq; libros Ecclesiasticos confundit, aut destruit, quoniam tribus duntaxat aut quatuor folijs additis, ad duo millia & ad tria millia imò & ad decem millia annorum, ordo celebrandarum festiuitatum vllo absq; errore habebitur vt breuissimè nunc ostendemus, Incredibili enim labore adhibitis Astrologicis tabulis, nostri huius noui instituti periculum fecimus, indicem que collegimus vsque ad annum domini 4680. duraturum hoc est ad 3600. annos initio sumpto ab hoc nostro tempore, quod si vlterius sæculum hoc protrahatur, non deerunt Deo dante in Ecclesia qui & vlterius illum procedere iubebunt, quin & vsus ipse facile si aliquis temporis lapsu error apparuerit, emendare docebit.

Itaque Ponamus primum Cyclum 124. annorum incipere Anno Domini 1581. ablatisque interim 14. diebus & æquinoctio ad 25. diem Martij reducto alioqui potest etiam incipere Cyclus prædictus Anno sequenti videlicet 1577. omnino autem cōueniet imò est necesse vt incipiat anno primo post bissextum igitur si anno 1581. inchoetur Aureus numerus erit. 1. quando quidē lunæ coniunctio

iunctio ad solem fiet secundum medium motum quo semper vsa est sancta mater Ecclesia: die Ianuarij 18. hor. 15. Minu. 24. hoc est die 19. currente, cum igitur e regione diei 19. Ianuarij sit vnitas Aurei numeri necesse erit hic relicto quinario qui ex ordine hactenus seruato anno illo in seruire debebat adsumere vnitatem, & sic manifestum euadit quod in libris nulla fiet mutatio in voce duntaxat vt supra diximus: & id hac vice solum idest in prima huius nostri Cycli introitu in sequentibus enim annis vsq; ad 124. semper discurret suo more. hic itaque primus Cyclus procedet vsque ad annum domini 1704. qui erit vltimus illius in quo dimittetur bissextus eritque Aureus numerus. 10.

Secundus autem Cyclus initium sumet ab Anno domini 1705. & Aureus numerus erit 19. quoniam luna cōiuncta erit cum sole 29. Ianuarij & 30. die erit prima luna è directo cuius diei locatur 19. Sicq; incipiet hic secundus Cyclus cum 19. Aur. num. finieturq; Anno domini 1828. Aur. numer. 9.

Tertius Cyclus inchoabitur Anno. 1829. Aur. numer. 10. hic non mutabitur:

Quartus Cyclus exordium sumet Anno 1953. Aur. num. 1. hic non mutatur.

Quintus Cyclus incipietur Ann. 2077. Aur. nume. 19. mutatur.

Sextus Cyclus exordietur Ann. 2201. Aur. num 10. non mutatur.

Septimus Cyclus principium sumet Anno. 2325. Aur. numer. 9. hic mutabitur.

Octauus Cyclus initiabitur Ann. 2449. Aur. nu. 19. non mutatur.

Nonus Cyclus inchoandus erit An. 2573. Aur. nu. 10. nō mutatur.

Decimus Cyclus inchoabitur Ann. 2697. Aur. nume. 9. mutabitur.

Vndecimus Cyclus initium capiet Ann. 2821. Aur. nume. 19. non mutatur.

Duodecimi Cycli exordium erit Anno. 2945 Aur. numer. 10. non mutatur.

Tertiusdecimus Cyclus initium habebit Ann. 3069. Aur. numer. 9. mutatur.

Quartusdecimus Cyclus initium Anno. 3193. Aur. numer. 19. non mutatur.

Quintusdecimus Cyclus incipiet Ann. 3317. Aur. nume. 10. non mutatur.

Sextusdecimus Cyclus initium sumet Anno. 3441. Aur. numer. 9. mutatur.

Septi-

Septimusdecimus Cyclus Ann. 3565. Aur. num. 19. non mutatur.
Decimusoctauus Cyclus Ann. 3689. Aur. numer. 10. non mutatur.
Decimusnon. Cycli principium Anno. 3813. Aureus numerus. 9. mutatur.
Vigesimus Cyclus initiabitur Anno. 3937. Aureus numer. 19. non mutatur.
Vigesimusprimus Ann. 4061. Aur. numer. 18. mutatur.
Vigesimussecundus incipiet Ann. 4185. Aur. nu. 9. non mutabitur.
Vigesimustertius Anno 4309. Aur. num. 8. mutabitur.
Vigesimusquartus Anno 4433. Aur. num. 18. non mutabitur.
Vigesimusquintus Anno 4557 Aur. num. 9. non mutabitur.

Ecce hic in his viginti quinq; Cyclis, ad tria annorum millia & ꝯdo facillimè ostensus est, quo vllo absque errore poterunt Cyclus Solaris idest literarum dominicalium, & Cyclus etiam lunaris videlicet Aurei numeri deseruire, festaque omnia suo legitimo tempure secundum sacros canones & antiquorum Patrum decreta & sanctiones celebrari.

Id verò in primis Patres conscriptos Ecclesiasticos, eruditosque Mathematicos rogatos velim, vt aduertant, quam breui & facili Methodo, hæc omnia non sine singulari sacri pneumatis numine, docuerimus; sanè nouit Dominus verbum suum abbreuiatum facere super terram, atque adeo breuis est via hæc eundi ad sacras festiuitates, vt nihil negotij facessat libris Ecclesiasticis, neque expensas inducat, aut vrgeat nouos conscribere atque emere codices, neque post annos centum, innouare Calendarium, aut Martyrologium, reliquaque id genus. Imo vero quod dictu quoque mirum est, si semel duo aut tria imprimantur Folia Missalique ac breuiario addantur, ad tria millia & centum annorum si mundus hic perseueret, prouisum fuerit quatinus ad Calendarium attinet, de libris Ecclesiasticis, Atque hæc quidem sufficere poterant. Verum tamen ad maiorem lectorum iucunditatem & dictorum lucidiorem intelligentiam, aliqua de solari ac lunari Cyclo, & de Epactis, & alijs non inutilibus, breuiter dicemus. Sed antequam vlterius procedamus, Tabulam generalem ad inueniendа perpetuò festa mobilia secundum hunc nouum modum discribemus, quæ sequitur.

Tabula

Tabula generalis perpetuaque ad inueniendam festa mobilia.

Aureus numerus	Lit. Domini	Septuagesi.	fer. 4 cin.	Pascha resurrectio.	Ascē sio Do.	Pentecost.	Fest. S. Tri.	Fest. corp. Chri.	Do. post Epi.	Do. post Pé.	Dom. Aduentus.
7	A	Ia. 22	fe. 8	Mar. 26	Ma. 4	Ma. 14	Ma. 21	Ma. 25	2	28	De. 3
	b	23	9	27	5	15	22	26	2	27	No. 27
15	c	24	10	28	6	16	23	27	2	27	28
4	d	25	11	29	7	17	24	28	2	27	29
	e	26	12	30	8	18	25	29	2	27	30
12	f	27	13	31	9	19	26	30	2	27	Dec. 1
1	g	28	14	April. 1.	10	20	27	31	3	27	2
	A	29	15	2	11	21	28	Iun. 1	3	27	3
9	b	30	16	3	12	22	29	2	3	26	No. 27
	c	31	17	4	13	23	30	3	3	26	28
17	d	Feb. 1	18	5	14	24	31	4	3	26	29
6	e	2	19	6	15	25	Iun. 1.	5	3	26	30
	f	3	20	7	16	26	2	6	3	16	Dec. 1
14	g	4	21	8	17	27	3	7	4	16	2
3	A	5	22	9	18	28	4	8	4	26	3
11	b	6	23	10	19	29	5	9	4	25	No. 27
	c	7	24	11	20	30	6	10	4	25	28
19	d	8	25	12	21	31	7	11	4	25	29
8	e	9	26	13	22	Iun. 1.	8	12	4	25	30
	f	10	27	14	23	2	9	13	4	25	Dec. 1
16	g	11	28	15	24	3	10	14	5	25	2
	A	12	Mar. 1	16	25	4	11	15	5	25	3
	b	13	2	17	26	5	12	16	5	24	No. 27
13	c	14	3	18	27	6	13	17	5	24	28
2	d	15	4	19	28	7	14	18	5	24	29
	e	16	5	20	29	8	15	19	5	24	30
10	f	17	6	21	30	9	16	20	5	24	Dec. 1
	g	18	7	22	31	10	17	21	6	24	2
	A	19	8	23	Iu. 1.	11	18	22	6	24	3
	b	20	9	24	2	12	19	23	6	23	No. 27
	c	21	10	25	3	13	20	24	6	23	28
	d	22	11	26	4	14	21	25	6	23	29
	e	23	12	27	5	15	22	26	6	23	30
	f	24	13	28	6	16	23	27	6	23	Dec. 1
18	g	25	14	29	7	17	24	28	7	23	2

Declaratio Tabulæ Generalis. Cap. 6.

PEr Tabulam præcedentem, perpetuò inuenientur festa omnia mobilia hoc modo. Primo quære Aureū numerū anni, in quo festa scire desideras, & sub eo hoc est infra eum quære literam dominicalem eiusdem anni, primam videlicet quæ infra Aureum numerum occurrit, & ex eius directo, versus dexteram sunt omnia festa mobilia illius anni, & dominicæ Post Epiphaniam & post Pētecostem, & prima Dominica aduentus & dies mensis vel è directo diei illius ad latus notatur, vel paulo supra signatur. Porrò id pro anno bissextili notandum est, quod tum ex geminis literis Dominicalibus capienda est posterior, quæ videlicet post festum sancti Mathiæ currit, & maiori anni parte deseruit. Et septuagesima per illam ostensa, tum fieri debet postridie, alioquin esset in die sabbati, quare super addendus erit dies vnus. Idem censendum & obseruandum fuerit, de fer. 4. Cinerum si tamen antè festum S. Mathię contingat.

De Cyclo Solari. Cap. 7.

CYclus solaris fuit olim à Computistis excogitatus, solum ad inueniendam literam Dominicalem perpetuò: sumpto à natiuitate domini initio; omnia enim iuxtè ad id tempus reducere curarunt. Constat autem hic Cyclus ex 28. annis solaribus, nō quòd sol eo annorum spatio, vel Zodiacum vel orbem aliquem pertranseat, sed quòd hoc transitu ac discursu temporis, omnes quæ ex literis Dominicalibus proueniunt varietates atq; combinationes, perficiuntur, & ad sua rursus initia redeūt, idq, perpetuo, vt ipsi ed firmarunt duraturum; quod tamen temporis tractu experti sumus minimè constare, vt mox probabimus, si prius eius rationem explicauerimus. Nemo nescit, septem diebus omne tempus comprehendi, semper enim dies octauus primi diei reditus est & reuolutio, quare septem illi dies, qui & planetis ab Ethnicis siue Astrologis, non tam verè, quàm superstitiosè attributi sunt, quos & ferias Ecclesiasticus vsus rectius vocat: per septē priores Alphabeti latini literas designati sunt in Calēdario Romano, nēpè p has. A, b, c, d, e, f, g. Quòd si annus Romanus siue solaris. 52. hebdomades precisè cōtineret sēper, nec dies aliquis vltra integras hebdomades superesset, fieret sanè, vt nunquam litera Dominicalis mutaretur. Nūc verò quoniam

annus

annus ex 365 dieb. vltra 52. hebdomades vnum in anno communi, binos autem in bissextili dies habet & continet; fit ex gemina causa, vt mutetur litera Dominicalis, quot annis necessario. Prima causa est dies ille vltra integras septimanas. Annus enim incipit prima Ianuarij die, cum litera prima Alphabeti videlicet A. & finitur vltimo decembris in eadem litera. A. vnde si incipit die Dominica finitur etiam die dominica, & prima dies Ianuarij, quæ anno præcedenti fuit dies Dominica, anno sequenti erit dies lunæ vel feria secunda; quare, g. erit litera Dominicalis sequenti anno. Altera Porrò causa est ex anno bissextili; quum enim quarto quoq; anno, intercalarē seruemus diem vnum ad festum S. Mathiæ apostoli adijcientes: necesse est, hic quoq; Dominicalem literam variari & mutari. At verò quū literæ sint septē & intercalares quarto quoq, anno fiit, & quater septem viginti octo efficiant, fit, vt dicebamus inde, quod in 28. annis omnes literæ Dominicales ordine, quo antea præcesserant, renetantur. & nisi æquinoctij inconstantia obstaret, poterat quidē perpetuò vsui esse sanctæ Ecclesiæ sed cum sit necesse, vti supra cap. 3. & 4 exposuimus, vnum bissextum post 124. annos omitti, non poterit correcto Calendario Cyclus ille 28. anonrum semper inseruire: quater enim reuolui poterit, hoc est ad 112. annos at. 12. quintæ reuolutionis anno, per omissionem intercalaris diei anno 124. secundum superiorem per nos adductum Cyclum, ordo ille interturbabitur & confundetur. Id porro nihil offensionis adgenerat, quoniam finito eo Cyclo 124. rursus ad caput redeundum erit. Erit igitur post Calendarij Romani emēdationem Cyclus solaris 124. qui multo rectius veriusq; poterit solaris Cyclus appellari: quoniā re vera per illum motus solis exæquabitur, & ad veram anni solaris quantitatem accomodabitur. Itaq, dicetur Cyclus hic noster solaris, & literarum Dominicalium: nec opus erit eos ab inuice n distinguere ac separare, vti hactenus Computistæ fortasse abiq; ratione fecerunt.

De Cyclo lunari siue Aurei numeri. cap. 8.

QVoniam, vti supra cap. 5. diximus, luna vigesimo quoq; anno ad eundem diem redit: Alexandrini & Iulius Cæsar (vt testantur Plinius & Macrobius) Cyclum decem nouennalē adinuenerunt, & Cæsar ipse in suo Calendario collocauit primo Ianuarij diei vnitatem tribuens, quia post solstitium hyemale die

octaua fuit lunæ ad solem congressus; quem ex industria expectauit Iulius Cæsar vt annum solarem simul et lunarem inciperet. Verum Aureus ille numerus, sic enim nuncupatus fuit decem nouennalis ille numerus quod Aureis primum, vt asserunt, literis scriptus fuerit; post factum Nicænum Concilium mutatus fuit, cum luna diem suum mutauerit. vnde vt in breuiarijs vetustioribus patet non vnitas sed ternarius prima die Ianuarij inuenitur ascriptus, & origo eius mutata etiam fuit per Abbatem Dionysium, siue per alios computistas, qui ad Christi natiuitatem nec iniuria quidem reduxerunt: ait enim Dionysius ipse anno incarnationis domini nostri fuisse Aureum numerum; vnitatem proinde volentes inuenire, Aureum numerum addunt vnum ad annos domini & diuidunt per 19. & si nihil remanet aur. num. est 19. si verò aliquid superest, ipsum sumere iubent, nec falluntur in sic quærendo Cyclum hunc, quandoquidē rectè accomodarunt radicem illā; sicut & Astrologi Radices omnes motuum Planetarum ad annos domini constituerunt. Falluntur tamen proculdubio omnes, qui existimant anno incarnationis verbi diuini vnitatem fuisse Aureum numerum Romanis, cum re vera septenarius esset in Calendario Iulij Cæsaris: quod luce clarius patet. Quippe 45. anno ante Christi incarnationem Calendarium Cæsaris incepit cū vnitate aurei numeri, vti supra diximus & testantur omnes authores & ostendunt D. Paulus de Middelburgo Episcopus Forosempronien & D. Iohannes Stoflerinus, Iohannes etiam Lucidus, cæteriq; . Si igitur à 45. subtrahantur 19. bis profectò septem restant. ergo septenarius erat illius anni Cyclus: sed cum hic numerus ad nihil aliud inuentus ac susceptus sit nisi vt lunam recentem indicet, hoc solum ab eo iure debemus exigere; neq, multum curandum est, vt certum aliquē habeamus annum, veluti fixum ac firmū fundamentum, per quod inueniatur atq, sciamr, quotus sit in vnoquoque anno, præstat enim scire numerum, qui rectè lunam indicet recentem quām eo habito lunam ignorare. Quamobrem decętero Calendario correcto iuxta modum per nos excogitatū, remanebit vtique SS. Patrum Cyclus sicuti est nunc ab Ecclesia emendatus; neq; enim nobis arridet illorum sententia, qui vti supra 5. cap. retulimus eum prorsus reijciendum consulunt, & alium difficillimum seu inducere tentant; qui tamen neq, perpetuus erit, neq; iustius lunam indicabit. Nobis itaq; saluo semper saniori iudicio, satius videtur, vt retineatur vetustus sanctorum Patrum Cyclus æquatus in initio Cycli nostri solaris & literarum Dominicalium, ad cuius inuen-

tionem

tionem solum initium Cycli prædicti sufficiet: cognito enim Aureo numero primi anni additis annis, qui transierint aperte cognoscetur.

De epactis & lunæ inuentione per easdem. Cap. 9.

EPactæ idem sunt, quod superabundantes nempe dies & super excrescentes in anno solari supra annum lunarem: Quando quidem annus solaris 365. diebus cum hor. 5. Min. 48. fermè constat, vti cap. 3. & 4. differuimus. At verò lunaris annus duodecim menses lunares complectens constat diebus 354. hor. 14. Minut. 40. fermè, vnde fit vt vltra duodecim lunationes integras, luna dies 10. cũ horis 15. & Min. 11. ferè, in anno solari possideat; illi itaq; dies decem & horę 15. sequentis lunationis sunt, & epactæ illius anni nuncupantur, & hor. 15. vulgo pro die integro sumuntur proinde epactę primi anni dies 11. communiter esse dicuntur. tametsi integri non sunt, in secundo autem anno dicunt computistæ epactas esse dies 22 re vera tamẽ sunt dies 21. cum hor. 6. Min. 43. ferè. Hinc fit vt luna quæ vulgo per epactas inuenitur, multoties per diem integrum fallat. Vera autem lunæ inquisitio per Tabulas epactarum fieri debet vt præcisè sciri possit dies & hora cõiunctiõis ipsius lunæ cum sole secundum medium ipsius lunæ motũ, quo hactenus vsa est sancta mater Ecclesia, & olim synagoga; quin & Iulius Cæsar iuxta eundem medium motum Cyclum suum Aur. numeri suo Calendario aptauit. Igitur vt studiosi lectores certiores fiant, & voluptatem maiorem ex huius libelli lectione capiant, in sequentibus easdem Tabulas adijciemus, vt persc quiuis coniunctiões & oppositiones medias inuestigare queat: modum autem & regulam, per quam vulgares absque libro lunam venantur, subijcere etiam placet. Distribue igitur Aureum numerum per tres iuncturas digiti pollicis manus sinistræ, incipiens à radice vbi collocabis vnitatem, binarium verò in media, & in summitate eius ternarium, & rursus quatuor dices in radice, quinq; in media & sic procedes vsq; ad decem & nouem, quæ in ipsa radice finiẽtur. Deinde in ipsa radice constitues decem, in media autem iunctura 20. in suprema verò nihil. Itaq; cuilibet Aur. numer. in prima iunctura cadenti adiunges illa decem, & cadenti in media addes illa 20. numeris verò, qui in summitate incidunt nihil addes: quoniam tertio quoq; anno Aureus numerus & epactæ coincidunt, quotiescunq; enim Aureus numer.

fuerit

fuerit 3. tres quoq; habebis de Epactis similiter & cum fuerit 6.9. 12.15.& 18. At cum Aureus ipse numerus erit. 1. additis. 10. quæ sunt in radice, resultabunt 11. pro epactis & si Aureus nu. erit 2. additis 20 epactæ erunt 22.& ita in reliquis. In tertio autem anno essent addenda vndecim quæ cum 22. efficerent 33. Verum cum integram lunationem excedant, abijcimus 30. & remanent 3. pro epactis quantus est Aur. numer. Alio etiam modo inueniuntur Epactæ, nempe per multiplicationem Aurei numeri. Accipe igitur Aur. nu. anni, in quo epactā inuenire desideras, & multiplica per 11, & productum partire per 30. siue quod idem est, abijce 30. toties, quoties poteris, & quod residuum fuerit, habeto pro Epactis. quod si nihil remanet, nihil etiam habebis epactarum eo anno. Porrò id obseruatione dignum est, quod vltimo Cycli lunaris anno, quando videlicet Aur. num. est 19. nihil tunc sumendum est pro Epactis: sicuti scitè Dionysius Abbas & Iohānes Lucidus in tabola magna 532. annorum adnotarunt. Ad hæc id quoq, mente retinendum & obseruandum est, quod licet Aur. num. Calendis Ianuarij mutetur. Epactæ tamen non mutantur, nisi Calendis Martij. Igitur habito Epactarum numero ætatem lunæ facilè quotidie inuenies. Accipe numerum Epactarum tui anni, cui addes tot vnitates, quot mēses sunt à Martio ad illum, cuius lunam quæris insuper addito etiam dies mensis & si aggregatum ex omnibus 30. excedat, reijce. 30. & remanent dies lunæ à coniunctione si vero non trascendit 30. quod constat ex illis, est ætas lunæ quæsita. Exemplum. Volo scire, quota sit luna die 15. mensis Iunij anni præsentis 1576. Epactę nullæ sunt, accipio Calendas, hoc est menses à Martio ad Iunium inclusiuè, qui sunt 4. addo 15. resultant 19. dico ergo quod die 15. Iunij luna erit 19. Aliud exemplū. volo scire quota erit luna 20. die Martij anni sequentis 1577. quæro primum Epactas: Aur. nu. erit vnus ergo Epactæ erunt 11 pro mense addo. 1, quia Martius est primus mensis in Epactis sunt 12. adde. 20. pro diebus mensis sunt 32. ablatis 30. super sunt 2. ergo luna erit secunda. Et hęc de pręsenti capite, nunc de Embolismo aliquid dicamus; est enim non inutilis eiusq; rei consideratio, nec extra propositum.

De anni Embolismici ratione. Cap. 10.

HAud parum confert præsenti instituto, annorum qui Embolismici nuncupantur scientia: quare pauca de hoc agendum. Appellatur

pellatur igitur annus Embolismeus hoc est intercalaris, qui ex. 13. lunationibus constat. quem ad modum enim solarium annorum, alius communis est 365. dies complectens: alius autem bissextilis siue intercalaris, qui 366. diebus conficitur, ita quoq; & lunarium alius communis annus habetur ex 12. lunationibus & 354. diebus alius verò intercalaris, qui Græca voce ἐμβολισμός Embolismus quasi insititius & intercalaris, qui 13. integras lunationes & dies 384. continet. Hunc autē necessitas ipsa induxit, apud Græcos, Arabes, Hębreos, atque lannos, nulla enim fuit gens quod sciam, quæ non suos annos lunares tandem cum solis motu, quātum scire potuit, coaptauerit. Gręci enim qui annis lunaribus vtebātur post octo annos lunares, intercalarem faciebant ex. 15. lunationibus 90. dies inserentes, quoniam in annis 8. tres mēses intercalandi sunt, vt mox patebit: Arabes vero post annos 30. conficiebant Cyclum suum. recētius autem Hæbrei, & tandem Romani per decē nouennalem Cyclum in spatio 19. annorum, solis lunęq; motus exequabant. Ratio autem huius hæc est quum, sicuti capite præcedenti ostensum est, solaris annus in diebus 11. ferè lunarem excedat, constat in tribus solaribus annis 33. diebus, vt vulgares per suas Epactas existimant: re vera autem 32. diebus & horis. 9. fermē. super excedere tres annos lunares, & nisi excessus huiusmodi aliquo quasi freno retraheretur & æquaretur, fieret in annis 17: vt luna primi mensis esset in mēse Setembrio, & per consequēns Pascha Hæbreorum non in equinoctio vernali sed in autunnali sæpius celebratum fuisset. Vnde Prisci Patres imò si Beroso credimus Ipse Noë annum lunarem cōposuit & solari adaptauit. Itaq; sic accommodarunt vt annus. 3. 6. 8. 11. 14. 17. & 19. essent Embolismici, septem videlicet in vnoquoq; Cyclo 19. annorum: quo Cyclo expleto rursus eodem fermè modo, & eodem die redeunt lunationes omnes tametsi non eadem hora sicuti cap. 5. prędiximus. Sanè 19. anni solares cum suis bissextilibus cōtinent dies 6939. & horas 18. At vèro 19. anni lunares cū suis Embolismis dies complectuntur 6939. hor. 16. & Min. 32. ferè ex quo patet quod solum differant in hor. 1 Min. 28. ferè propterea supra dicebamus Cyclum hunc 19. annorum nō esse perpetuum, nec Aureum numerum in breuiario sedem perpetuam habere posse nisi ad equatione facta sicuti nos per Cyclum nostrum solarem 124. annorum perpetuò Ecclesiæ vsui non ineptè aptauimus. Sic igitur dispositus est Cyclus hic & Aureus numerus in Calendario vt lunationes 235. contineat, quarum 144. sunt annorum 12, cōmunium

& 91.

& 91. sunt annorum. 7. Embolismorum & hæ sic sunt perpetuò distributæ, vt vna 29. dierum sit altera verò 30. id quod fieri oportet, nam, vt omnes autores testantur & Tabulæ Astrologicæ ostendunt inter duas sibi proximè succedentes lunationes dies 29. hor. 12. Min. 44. & Secunda. 3. & Tertia 3. ferè defluunt, vnde melius ordinari ac disponi lunationes nō possunt, quā vt vna sit 29. altera 30. dierum præterquam in Embolismis. ij enim primo excepto, qui est 29. dierum reliqui omnes 30. dierum comperiuntur, & necesse vtique est, vt sic disponantur hoc ipso cæli motu & Astrologicis tabulis exigentibus, vt D. Paulus Episcopus Forosemproniensis in sua Paulina asserit, qui & Cyclum veterem ad motum cæli correxit & Aureum numerum emendauit, vbi obiter hic ad notandum, quod in Breuiarijs & Missalibus licet emēdatus sit Aureus ipse numerus, et ad dies lunationū retro tractus, vitio tamen impressorum (vt reor,) mendose conspicitur aliquibus in locis inscriptus ita vt quandoque tres sibi inuicem succedentes lunationes inueniantur esse 29. dierum, id quod non patitur natura ipsa & motus lunaris. 30. quidem dierum possunt nonnunquam binæ lunationes proximæ esse 29. dierū nunquam, sed hæc facillimè poterūt emendari. Vt itaque caput hoc claudamus dicimus, nunc Embolismorum ordinem paulo immutatum & alteratum esse; Quippe anno nūc. 2. 5. 7. 10. 13. 16. & 18. fiunt Embolismi non vt olim. 3. 6. 8. 11. 14. 17. & 19. cuius ratio est; quoniam qui olim erat vltimus Cycli lunaris annus nunc cœlo labente factus est primus, id quod hoc ipso anno 1576. manifestū euadit, siquidem in Cyclo ipso lunari annus hic vltimus habetur, Aureus enim numerus est 19. in motu tamen cæli proculdubio primus est, quoniam prima Ianuarij die fuit luna recens & prima fuit enim coniunctio luminarium in mense Ianuario die. 0. hor. 18. Minuti 53. hoc est prima Ian. die horis 5. Min. 7. ante meridiem illius primæ diei quare; Annus solaris & annus lunaris eodem die inchoati sunt, iccirco primus habetur in ratione motus & Cycli. Sed hæc fusius fortasse, quam opus fuit, dicta sunt, quare finem facimus: & ad alia non iniucunda tametsi non prorsus necessaria, pertractanda transimus.

Regulæ aliquot & praxes. Cap. XX.

QVoniam de ratione Calendarij Ecclesiastici sermo est, Nō omittemus quædam hic inserere, quæ & si non sint, vti modo dicebamus,

mus necessaria, non sunt penitus spernenda. Et primum Regulas quibus facile simpliciores quiq; septuagesimam inuenire valeant, & sacrum Pascha subnectemus. licet enim per tabulam nostram supra cap. 6. conscriptam omnia mobilia festa inueniantur, non abs re tamen fuerit, & alijs etiam modis idipsum inuestigare. Itaque septuagesima post emendationem Calendarij, hoc est reducto æquinoctio ad 25. mensis Martij diem sic facillimè inuenietur. Post 4. Idus Ianuarij hoc est post decimum diem Ianuarij, quære Aureum numerū in eodē mense vel in sequēti. & ab eo die inclusiue numerato decē dies, & Dominica sequens erit Dominica septuagesimę. Vel aliter post decimam lunæ diem, quæ sequitur diem decimam Ianuarij prima Dominica erit septuagesima. Idem est cum eo quod antea dicebatur. Exempli gratia. sit Aureus numerus 18. qui inuenitur 12. die Ianuarij. numero dies 10. complentur 21. Ianuarij. dico quod prima Dominica post 21. Ianuarij diem cōcurrente hoc aureo numero erit septuagesima. Quod si Aureus numerus sit 13. qui inuenitur post 10. diem Ianuarii in Februarii die 5: additis 9. fiunt 14. ergo prima dies Dominica post 14. Februarii ōcurrente aureo numero 13. erit septuagesima. Hæc nunquā fallet. Habita septuagesima facile Cinis Pascha & reliqua inuenientur. Quare ad alia conuertimur.

Solent Computistę longissimum de cōcurrentibus, regularibus & clauibus sermonem conterere, nos illis tanquam parum vtilia omittentes, eadem breuiori ac lucidiori via Deo præstante docebimus; Sanè quota hebdomadis die annus quilibet & mensis incipiat per regulares & concurrentes docent. Nos autem ita paucis explicabimus. Accipe has 12. syllabas et 12. mēsibus accomoda A, dam. de, ge, bat, er, go, Ci, fos, a; di, fos. vnaquæq; Syllaba per primam literā indicat primum diem mensis Ianuarius enim incipit ab A. Feb. à D. &c. itaq; cognita litera Dominicali facile & feriam Anni cognosces. Verbi gratia; sit litera Dominicalis. f. quæ erit in anno sequenti 1577. & hęc est tertia ante A. quæ est prima Ianuarii. ergo dico, quod annus sequens incipiet tertia die post Dominicam idest feria tertia. vel die prima Ianuarii est in litera A. Dominicalis autem litera est. f. quę est sexta ab A igitur sexta die ante dominicam, hoc est die Martis siue feria tertia incipiet. Eodem etiam modo & cæterorum mensium Calendas atque initia non multo labore reperies, absque scriptori [illegible]

Aliter etiam idipsum sic inuenies. Accipe numerum annorum [illegible]

F domini

domini præfecturum, cui addes & quartam partem propter bissextos, totum aggregatum diuide per 7. & si nihil remanet, annus inchoabit à fer. 7. hoc est sabbato. Si vnum fer. prima hoc est die Dominica si 2. fer. 2. si 3. fer. 3. &c. Exemplũ volo scire quota feria incipiet annus domini 1580. addo quartam partem totius huius summæ 1580. hoc est 395. resultant 1975. quam diuido per 7. & proueniunt in quotiente 282. & super est 1. Ergo annus sequens 1581. incipiet die prima videlicet die Dominica. Idem etiam efficies, si ab anno 45. ante natalẽ domini, quando Iulius Cæsar Romanum Calendarium edidat, numeres adde annis domini 45. cum quarta, pro qua addes 11. itaq; addes 56. et operare, vt prius verbi gratia 1380. transacti erant, quibus addo 56. & 395. efficient 2031. quę partior per 7. & prouenient 290. remanente etiam 1. quo Ianuarij Calendæ indicantur. Hic autem aduertendum est, quod si annus tuos, cuius notam Calẽdarum Ianuarij quæris, sit primus secundus aut tertius post bissextum, nihil addendum ratione quartæ pro illis, quia nondum bissextus celebratus est. Vnde pro anno 1582, & 1583. idem pro quarta addẽdum est. Cognita verò feria illius anni, & mensium quoq; ferias absque labore cognosces hoc pacto, pro mense qui 31. dies habet, adde tria, quia vltra integras hebdomadas tria super sunt ex. 31. pro mense verò 30. dierum sume duo, pro Februario autem nihil sumes in anno communi in bissextili autem vnum & adde omnes notas mensium prætereitorum vsq; ad mensem, cujus notam desideras, & si aggregatum septenarium excedit abiecto 7. quod relinquitur, est nota feriæ illius mensis. Exemplum. Ianuarius incipiet fer. 1. volo scire feriam Martij, Ianuarius dat mihi 3. Februarius nihil in anno communi: ergo Martius incipiet fer. 4. quoniam 1. & 3. sunt 4. Aliud exemplum. Volo scire Calendas Augusti eodem anno habeo vnum menses transacti erunt septem Februarius nihil dabit, quia non est bissextus Ianuarius Martius Maius & Iulius dant 12. 3. quilibet, Aprilis, & Iunius 4. duo quibus 12. & 4. sunt 16. & 1. 17. aufero 14. quæ sunt hebdomadæ integræ super sunt tria igitur eo anno Augustus incipiet feria 3.

Pulchrum etiam ac jucundum est scire signum & gradum solis quotidia absq; libro & scripto, id nunc facillimè docere pergimus, in primis autem scire oportet menteq; retinere 12. Cœli signa quæ sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpio, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, & Piscis. Ingreditur autẽ sol circa 10. diem Martij in arietem modo si autem 14. dies ab aliquo an-

no absu-

no absumantur, tunc ingreditur circa 25. diem eiusdem mensis. Si vis itaque modo scire gradum solis aliquo die, discito primum has 12. dictiones videlicet. Gratum, Hector, Fluuius Fundebat Eurus, Eoum, Docta, Dimna, Dei, Cuncta, Diana, Eui. & scito quod quota est prima cuiuslibet dictionis litera in alphabeto, tot vnitates significat addendas esse mensi sibi correspondenti. sunt enim 12. ad mensium numerum & incipiendum est à Ianuario. cui respondet G. quæ est 7. ergo pro Ianuario sumes 7. pro Februario 8. &c. Hoc constituto numera dies mensis vsq; ad illum diem in quo solis gradum quæris, & adde numerum literarum, deinde adde 13. perpetuo. & si superat 30. abijce 30. & remanet gradus solis quæsitus, qui erit illius signi, in quo sol est mense illo. Exemplum cupio scire in quo gradu est sol 20. die Martij quæro dictionem sibi respondentem inuenio; fluuius est autem f. sexta addo 6. supra 20. sunt 26. addo 13. resultant 39. reijcio 30. remanet 9. dico igitur solum 20. die Martij occupare 9. gradum & cum circa 10. Martij ingrediatur Arietem, erunt igitur gradus illi 9. signi Arietis. eodem modo in cæteris operaberis, nec falles. Verum tamen notandum est, quod isti gradus non erunt adeo præcisi, quoniam in anno bissextili à festo S. Mathiæ forsan vno plures erunt, & te vera iuxta medium motum istæ traduntur regulæ, non enim possunt de veris motibus canones fieri generales; sat autem est, quod non erit magnus error, neq; aliter etiam inueniuntur in dorso Astrolabij & Planisferij gradus solis. Postremò hic adnotandum, quod si æquinoctium reducatur, ceu optamus; ad eam, quam olim sedem habebat per 14. dierum omissionem, tūc non erit opus addere 13. illa, quæ nunc vltra dies mensis & literam dictionis competentem addenda iussimus. illa enim duo solum sufficient. Exemplum, reducto æquinoctio ad 24. Martij cupio inuenire gradum solis 28. die Martij addo supra 28. sex pro litera f. reddūt 34. proijcio 30. remanet 4. ergo dico solum eo die quartum Arietis signi gradum tenere. Aliud exemplū 12. Decembris quæro solis gradum dictio vltima ex 12. est Eui accipio 5. addo ad 12. sunt 17. ergo sol erit in 17. sagittarij, qui est 9. signum ab Ariete, sicut December est 9. mensis à Martio.

Postremò loco in hoc capite docebimus scire signum per quod graditur luna quotidie, idq; crassa (vt aiunt.) Mineruæ quando aliter fieri nequit, absq; Tabulis & Ephimeridibus. Itaque si hoc scire desideras, scito per Epactas lunæ ætatem, vti cap. 9 edoctus es, considera autem gradum solis in die illo, quando luna soli iuncta fuit,

aut oppositæ, & lunæ ętatē dupla: deinde diuide per. 5. & quot quinarios habebis tot signa cōfecit ipsa luna à die cōiunctionis. Exemplū: cupio scire signū per quod luna gradietur die 18. Julii hoc anno 1576. Quæro ætatem lunæ ad illum diē inuenio 23. quæ duplæ fiunt 46. diuido per 5. inuenio nouies quinq; & vnum dico ergo lunam à die coniunctionis fuisse confecisse 9. signa & aliquid amplius; sed in quo signo est? Quæro signum solis 18. Iulii per doctrinam precedentem & procul dubio scio sol fuisse in signo leonis in 5. gradu, numero ergo 9. signa incipiens à Leone, quoniam coniunctio fuit in principio Leonis & dico quod erit in Tauro & ita operaberis in aliis. Poteris etiam & aliter hoc ipsum scire. Si habita ipsius lunæ ętate 13. gradus vnicuique diei tribueris: quoniam 13. gradus ferè conficit quotidie iuxta medium motum: tametsi iuxta verum motum quandoque 12. quandoque 14. & plus & minus pertranseat.

Sed de his hactenus, nunc vt colophonem huic nostro libello addamus & supremam iam manum imponamus Tabulas Astrologicas compendiosas atque dilucidas conscribemus per quas facile cōiunctiones, & oppositiones medias luminarium, necnon & quartiles aspectus quouis paruo negocio atq; labore inuenire.

Valebit.

Tabulæ Astrologicæ ad eruendas Epactas & coniunctiones atq; oppositiones luminarium secundum medium motum ad meridianum Vrbis Romanæ.

Radix in fine anni incarnationis Verbi Dei.

Radix.	Dies	Horæ	Minuta	Secunda.
	16	16	41	9

Tabula Epactarum in Annis collectis.

Anni	Dies	Horæ	Minuta	Secunda.
20	10	22	39	27
40	21	21	15	53
60	3	7	14	18
80	14	5	53	44
100	25	4	35	11
200	20	10	22	18
300	16	12	11	26
400	12	4	0	33
500	7	19	49	41
600	3	11	38	48
700	28	16	11	59
800	24	8	1	10
900	19	23	50	14
1000	15	15	39	22
2000	1	18	34	41
3000	17	10	14	2
4000	3	13	9	20
5000	19	4	48	42

Tabula Epactarum in annis expansis.

Anni		Dies	Horæ	Minuta	Secunda.
1		10	15	11	23
2		21	6	21	47
3		3	8	50	7
4	Biss.	14	0	4	31
5		24	15	12	54
6		5	17	40	14
7		16	8	51	38
8	Biss.	18	0	3	1
9		9	2	30	21
10		19	17	41	45
11		0	20	9	5
12	Biss.	12	11	20	29

Residuum Tabulæ Epactarum in Annis expansis.

Anni	Dies	Horæ	Minuta	Secunda
13	23	2	13	53
14	4	4	52	12
15	34	20	10	36
16 Biss.	26	15	25	59
17	7	53	42	20
18	18	5	0	43
19	28	20	12	6
20 Biss.	10	23	39	27

Epactæ mensium in anno communi.

Menses.	Dies.	Horæ.	Minuta.	Secunda.
Ianuar.	1	11	15	57
Februa.	29	11	45	57
Martius.	1	9	47	51
Aprilis.	1	21	13	48
Maius.	3	8	19	45
Iunius.	3	19	35	42
Iulius.	5	6	51	39
Augustus.	6	18	7	36
Septemb.	7	5	23	33
Octob.	8	16	39	30
Nouemb.	9	3	55	26
Decemb.	10	15	11	23

Epactæ mensium in Anno Bissextili.

Menses	Dies	Horæ	Minuta	Secunda
Ianuar.	1	11	15	57
Februa.	0	22	31	54
Martius.	2	9	47	51
Aprilis.	2	21	3	48
Maius.	4	8	19	45
Iunius.	4	19	35	42
Iulius.	6	6	51	39
Augustus.	7	18	7	36
Septemb.	8	5	23	33
Octob.	9	16	39	30
Nouemb.	10	3	55	26
Decemb.	11	15	11	23

Tabula

Tabula sequens continet reuolutiones integras coniunctionum & oppositionum, & numerus Epactarum per superiores Tabulas inuentus, debet subtrahi à numero maiori propinquiori in hac sequenti Tabula adnotato, sub titulo coniunctionis si coniunctionem quęrimus, vel sub titulo oppositionis, si oppositionem quærimus.

Tabula integrarum reuolutionum.

	Dies	Horę	Minuta	Secund.
Pro oppositione.	14	18	22	1
Pro coniunctione.	29	12	44	3
Pro oppositione.	44	7	6	5
Pro coniunctione.	59	1	28	6
Pro oppositione.	73	19	50	8
Pro coniunctione.	88	14	12	9
Pro oppositione.	103	8	34	11
Pro coniunctione.	118	2	56	12
Pro oppositione.	132	21	18	14
Pro coniunctione.	147	15	40	15
Pro oppositione.	162	10	2	17
Pro coniunctione.	177	4	24	18
Pro oppositione.	191	22	46	19
Pro coniunctione.	206	17	18	20

Declaratio harum Tabularum & praxis operandi cum eis. Cap. II.

SVperius descriptæ Tabulæ colligunt Epactas: Primum per annos collectos per 20. vsq; ad 100. deinde vsq; ad mille per centena: postremò per millena vsq; ad 5000. vlterius enim progredi supervacaneum visum est. Secunda deinde Tabula easdem Epactas per annos expansos tradit ab vno vsq; ad 20. Porrò tertio loco per menses requiri oportet Epactas, & quoniam bini sunt anni, cõmunes siue bissextiles, geminæ de mensibus Tabulæ traduntur. Postremò verò subsequitur Tabula integrarum reuolutionum, ad quã tandem deueniendum est, & per eam totius operationis fit conclusio, & intentum obtinetur operantis in hũc modum, qui sequitur. Volens igitur coniunctionem aliquam siue oppositionem mediã inuenire, & per consequens dierũ verę coniunctionis siue oppositionis scire, quandoquidem id latere neminem volumus, medias coniunctiones & oppositiones lunares ad solem semper infra spatium 15. horarum contingere cum veris. siue enim media præcedat, siue verã, nunquam tamen abinuicem plus 14. aut 15. horis distant, aliquando eadem hora est vera & media coniunctio, aliquando præcedit & aliquando subsequitur, eodem tamen (vti diximus) die accidunt. Itaque volens eam inuenire, primum tempus suum notet per annos & menses transactos: caueat itaque ne annum vel mensem, in quo coniunctionem vel oppositionem quærit, in annis vel mensibus Epactalibus includat. Epactę enim semper temporis præteriti sunt, cum sint excrescentes & abundantes supra annos & menses. secundo loco tempore notato ingrediatur Tabulam annorum collectorum, si annos habeat multos, & numerum annorum suorum in Tabula quærat, quod si non inueniat, numerum minorem propinquiorem accipiat, & ex eius directo Dies, horas & Minuta atque Secunda vnum quodque sub suo titulo accipiat, Deinde cum residuo annorum ingrediatur rursus Tabulam donec omnes annos euacuauerit, idem & de mensibus si quos habuerit; faciet semper Dies sub diebus primis, horas sub horis Minuta sub Minutis, & secũda sub secundis, collocando tandem Radicem, si non antea sumpsit, accipiat, & sic omnia prædisposita erunt. Postea summam ex omnibus faciat, incipiens ab vltimis videlicet à secundis, siquidem ex secundis fiunt Minuta, ex Minutis horæ, ex horis dies resultant. Id enim in primis sciendum atque mente retinendum est, quod 60. secunda

faciunt

faciunt vnum Minutum, & 60. Minuta horam, horas autem 24. diem reddere nemo nescit, id coam lectores non lateat nos vltra secunda procedere noluisse: progrediuntur enim Astrologi ad Tertias Quartas & Quintas, verum id tum inutile, tum superfluum in dicaumus. Igitur summa omnium confecta cum ea, Postremò Tabulam integrarum reuolutionum ingrediendum est: & quærenda in ea summa maior propinquior sub titulo Pro coniunctione siue Pro oppositione, prout intentum operantis exigit, & summa Epactarum annorum tuorum & mensium subtrahenda est de reuolutione vel reuolutionibus integris, cum sit minor vti diximus, & quod de diebus, Horis, vel Minutis remanet, erit tempus cõiunctionis vel oppositionis quæsitę. Sed hæc omnia exemplis illustranda sunt, quò facilius capiantur. Sit ergo exemplum. Volo inuenire cõiunctionem lunæ Mensis Ianuarij anni sequentis videlicet 1577. Anni perfecti & transacti sumendi sunt, nempe 1576. Ingredior tabulam annorum collectorum & non inuenio annos dictos iunctos sed dispersos: Vnde assummo primum annos 1000. & operor vt hic patet deinde cum 500. post cum 60. post cum 16.

Vltimò accipio Radicem, & colligo simul omnia, & inuenio Dies 69. hor. 22. Minuta 46. Secunda 29. Itaq; cum summa ingredior Tabulam integrarum reuolutionũ, & inuenio maiorem propinquiorem Pro coniunctione esse, Dies 88. hor. 14. Minu. 12. Secunda 9. A qua subtraho summam Epactarum collectarum et remanent Dies 18. hor. 15. Minut. 26. Secunda 40. quod est tempus coniunctionis quæsitæ.

Anni	Dies	Horę	Minuta	Secunda.
1000	15	15	39	22.
500	7	19	49	41
60	3	7	14	18
16	26	21	21	59
Radix.	16	16	41	9
Summa.	69	22	46	29
Integrę reuo.	88	14	12	9
Summa epact.	69	22	46	29
Restant.	18	15	26	40

Ergo erit lunæ cōiunctio in mense Ianuario anni sequentis Die 18. ho. 15. Min. 26 secundis 40. post meridié diei illius 18 diei Dies. n. hic semper intelliguntur perfecti, & incipiunt more Astrologico à meridie; ita quod prima die Ianuarij in meridie finitur & completur dies, & statim incipit secunda dies vnde illa coniunctio erit Die 18. & horis 15. post meridiem illius diei currente 19. erit. n. hor. 3. post mediam noctem diei 19. Aliud exemplum. volo inuenire coniunctionem in mense Augusti, colligo omnes epactas annorum perfectorum, vt supra, addo etiam epactas mensium transactorum videlicet Iulij & habeo summam Dies 75. Hor. 5. Min. 38. Secund. 8. post quæro in tabula integrarum reuolutionum maiorem propinquiorem pro coniunctione & inuenio Dies 88. Hor. 14. Min. 12. Secunda 9. á qua subtraho summam prius sumptam & restát Dies 13. Hor. 8. Min. 34. Secunda 21. Ergo luna in Augusto coibit cum sola hor. 8. post meridiem dies 13. Augusti anno sequenti.

Aliud exemplum in mense Augusti, eiusdem ann.				
Ann. 1576.	69	22	46	29
Mensis Iulij.	5	6	51	39
Summa.	75	5	38	8
Integræ reuolutiones à quibus fit subtractio.				
Integræ reuo.	88	24	12	29
Summa subtrahen.	75	5	38	8
Restant.	13	8	34	21
Ergo Coniunctio mensis Augusti erit.				
Die.	13	8	34	21

Hic autem notabis quod si cōtingat aliquando, vt sæpè fit, quod in secundis Minutis & horis maior numerus fit à minore subtrahédus: debes assumere vnum ex maioribus videlicet in primo exemplo suprapósito. secunda 29. erant subtrahenda ex secundis. 9. tunc assumpsimus vnum Minutum 60. Secunda reddés & ita potuimus auferre illa 29. remanentibus 40. Secundis. ita & post 46. Minuta erant subtrahéda ex. 12. imò ex. 11. quia iam vnum illorum deerat tunc accepimus vnam ex horis 24. hoc est 60. Minuta & similiter vt horæ 22. extrahi possent diem vnum mutuo accepimus ex hor. 24.

ablatis

ablatis 22. remanebant 2. & 13. sunt 15. obliuioni autem minimè dandum est quòd si quando vel horam vel minutum siue diem mutuamus; vt illius postea rationem habeamus, addendo vnum reliquo numero subtrahendo, vel diminuendo vnum ab eo à quo fieri debet subtractio: verum id super vacaneè forsan monemus, quando non hic Arithmeticam docemus, nec ignaris prorsus & artis numerandi expertibus, vsum harum tabularum committimus. Præstat, vt paucis nunc habita mensis Ianuarij coniunctione cæteras totius anni facile inuenire doceamus. Itaq; id sic dicto citius facies. adde ad tempus coniunctionis Dies 14. Horas 18. Min. 22. Secunda 2. & habebis oppositionem. quod si addideris Dies 29. Hor. 12. Minut. 44. Secunda 3. habebis sequentem coniunctionem. Porrò si ad tempus coniunctionis vel oppositionis addideris Dies 7. Hor. 9. Min. 11. Secunda 1. habebis quartilem lunæ aspectum ante oppositionē vel post iuxta mentem & operationem quam fueris prosequutus.

Postremò notent prudentes lectores Radicem immutandam esse in principio Cycli solaris. Si enim æquinoctium ad sedem veterem reducatur per omissionem 54. dierum auferendi tunc erunt à superiori radice incarnationis Verbi Dei. 14. dies, vt lunationes verè inueniantur. In fine quoque vniuscuiusq; Cycli, mutanda erit radix propter omissionem illius vltimi Bissexti.

Tria autem in Breuiarijs & Missalibus addenda erunt videlicet Cyclus 124. anni. & index siue initia Cyclorū atq; Tabula generalis ad inueniendа festa mobilia cum sua declaratione. quæ quidem vti supra diximus tribus folijs comprehendi poterunt. Et hactenus de præsenti capite & Tractatulo.

Operis peroratio.

Reliquū est vt planè cognoscētes omne datū optimū, & donū perfectū desursum esse à patre luminū, Deo opt. max. ipsi summo bono immortales gratias agamus, qui nos sua speciali ac singulari ope ad noui Cycli inuestigationem permouit, atq; vt ad finem optatū nostrum hunc conatum perduceremus, fauit, & potenter adiuuit. Beneuolos autē prudentesq; lectores plurimum rogatos volumus, vt quicquid in hoc ipso libello boni ac recti inuenerint, Deo bonorum omnium autori acceptum ferant. siquid aūt peccatum est, aut minus rectè digestum, nobis benignè indulgeant & Charitatis igne id omne absumant. Quippe id semper nobis cordi fuit, quod & ore atque scripto vbique protestati sumus, nolle nos vllo pacto à sacris

ortho-

orthodoxæ fidei sanctęque Ecclesiæ Romanæ ac doctorum ipsius dogmatibus, sententijs, ac ritibus vel ad latum vnguem discedere. Vnde hunc libellum & omnia hactenus per nos dicta scriptaśue iudicio sanctę Matris Ecclesiæ atque omnium melius sentientium submittimus,& nos ipsos.

Tibi autem in primis Beatiss. P. in cuius nutu præcipuè hæc sita sunt,Zelo fidei orthodoxæ hunc laborem, atque vigilias hasce offer re iure ipso impulsus sum: pedibus Beatitudinis.T. prouolutus suppliciter obsecrans,ne hanc,quam sacrum Tridentinum Concilium Deus ipse sanè tibi gloriam reseruauit, alteri relinquere velis. Sed nos omnes hoc est Ecclesiam Sanctam cunctumq; populum Dei ab ijs difficultatibus citissimè liberatos lætificare digneris: quò iucundius & congruentius tempore à sanctissimis PP. instituto, Deum Opt.Max. colentes,omnia elegantius in sancta Ecclesia fiant, Te B. P. autore,quam diù viuere incolumem,concedat altissimus, amen.

LAVS DEO

FINIS.

Imprimatur F.Franciscus de Pisis Inquisitor Dominij Florentini.

Ex Officina, Georgij Marescotti. 1576.

Errores sic corrige.

Facie.	Linea.	Legendum
16	37	aut æquinoctij.
17	13	perpetuis
19	10	72. d. c.
ead.	14	76. fe.
34	11	Verbi gratia 1580.
ead.	32	duo quilibet



